



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio III. De divinitate Filii in particulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

subscriptisse Sirmii, ubi è contra illam damnavit, & subscribendo libellum sibi à Legatis Orientalibus oblatum, in quo continebatur Antiochena formula, in Encænii edita, secundæ Sirmienfî è diametro opposita, & edendo professionem fidei, qua alienos ab Ecclesia pronuntiabat eos, qui assererent Filium non esse substantia & per omnia Patri similem: Chymera est, quod dicitur, Liberio scilicet, cum venisset Sirmium, ab Arianis oblatam esse secundam formulam Sirmienfem subscribendam: cum enim Sirmium venit Liberius, ibi offendit Legatos Ancyranæ Synodi, quibus, ut par est credere, pro eo apud Imperatorem intercedentibus, evocatus erat, quique perhonorificè excepti, & benevolè auditi à Constantio, animum ejus à secunda Sirmienfî formula, & Eudoxio ejus approbatore planè alienarant; Ursacium, Valentem, & Germinium, formulæ authores, ad palinodiam, & ignorantie suæ confessionem compulerant; & obtulerant, ut, abolita secunda Sirmienfî formula, quæ omenson æquè ac omenson proscripterat, ea, quæ in Sardicensi, hoc est, Philoppopolitano, Sirmienfî, aliisque Conciliis, adæque Antiochenfî in Encænii decreta fuerant, firma & stabilia permanerent, quibus in Conciliis definitum erat communi consensu, Filium Patri similem esse secundum substantiam.

Risum igitur movere debet, quod dicitur, Arianos Episcopos, qui erant in comitatu, cum Sirmium venit Liberius, Ursacium scilicet, Valentem, & Germinium, à Liberio postulasse, ut subscriberet Sirmienfem formulam; & Liberium, subscribendo, hoc potestremo scelere facultatem redeundi Romam ab Imperatore impetrasse; cum hanc formulam Ancyranæ Synodi Legatorum opera damnaasset Imperator; cum eam ipsimet Ursacius, Valens, & Germinius, quantumvis invitati, damnarent, & propter illam, gravem Principis offensionem tantum non incurrisset, nec evasisset, nisi confitendo ignorantiam suam, & excusando se idcirco omenson & omenson taceri voluisse, quia unum atque idem significari verbo utroque existimarent.

Itaque, ut jam dictum est superius, à Liberio, instantibus Ancyranæ Synodi Legatis, solum postulavit Imperator, ut Filium non esse Patri consubstantialem profiteretur; quod cum se facturum nunquam, constanter assereret Liberius, Legati Orientales ei subscribendum obtulerunt libellum, cui inferuerant ea, quæ olim Antiochia contra Samosatenum decreta fuerant, ut subscribendo, quoquo modo videretur omenson repudiare. Subscripti Liberius, certus se hac subscriptione nullatenus Nicænæ fidei præjudicare, posse, & simul professionem edidit, in qua dicendo Filium substantia & per omnia Patri similem, æquivalenter assererebat omenson in sensu Nicænæ Synodi; quam professionem ipsimet Ursacius, Valens, & Germinius subscribere coacti sunt, & subscribendo, suam Sirmienfem formulam condemnare.

Obj. 3. S. Hieronymus in Catalogo Scriptor. Ecclesiasticor. cap. 97. scribit Liberium hæresi subscripsisse. Loquens enim de Fortunatiano Aquilejensi Episcopo, sic ait: In hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ urbis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem hærescos compulsi. Res. dist. S. Hieronymus scribit Liberium subscripsisse hæresi, quod formulam Arianam subscripserit, aut Arianum dogma aliquando professus sit. N. Nam è contra, Arianos, Filium creaturam, & Patri dissimilem Antiochiæ prædicantes, edita Sirmii professione fidei, alienos ab Ecclesia pronuntiavit, & subscribendo Antiochenfem formulam, in Encænii editam, Filium de substantia Patris, & immutabilem ac inalterabilem deitatis, substantiæ, voluntatis, potentie & gloriæ Patris sine omni dissimilitudine imaginem professus est. Quod Athanasii, quem ut acerrimum Nicænæ fidei propugnatorem hæretici vexabant, condemnationi subscripserit; quod cum Arianis communionem inierit, & eos, qui cum illis communicare nolent, à communione sua separatos declaraverit; quod subscripserit formulis, conscriptis ab Orientalibus schismaticis, qui communicabant cum Simonet Theol. Tom. I.

Arianis, & cum illis, paribus studiis, contra Consubstantialitatis defensores pugnabant, & idè cum illis confundebantur, C.

DISPUTATIO III.

De Divinitate Filii in particulari.

ARTICULUS I.

Utrum Filius sit verus Deus.

RESPONSIO.

Filius est verus Deus.

P Rob. Ex Scriptura simul, & Patribus. 1. Joani c. 1. dicitur: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ex quibus verbis habemus, 1. Filium esse Deum: Et Deus erat Verbum. 2. Filium esse ab æterno: In principio erat Verbum. 3. Filium factum non esse, cum omnia omnino, quæ facta sunt, per ipsum facta sunt, & aliunde evidenter repugnet aliquid à se ipso fieri: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. 4. Et ita Filium non esse creaturam: omnis enim creatura facta est, & nulla creatura ab æterno. 5. Et sic Filium esse verum Deum. Nam ens omne vel est creatura, vel Deus verus; adæque si Filius non est creatura, est Deus verus.

His verbis Evangelistam omnem omnino hæresim contra Filium exortam damnaſſe, luculenter ostendit S. Ambrosius in lib. 1. de fide ad Gratian. c. 5. Omnes, inquit, hæreses hoc capite brevi noster Piscator excludit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio prevenitur. Ergo Arius contemnat. Quod autem erat apud Deum, non commitione confunditur, sed manentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur; ut Sabellius obmutescat. Et Deus erat Verbum. Non ergo in prolatione sermonis hoc Verbum est: sed in illa celestis designatione virtutis, ut consuetur Photinus. Quod vero erat in principio apud Deum, sempiternæ divinitatis in Patre & Filio inseparabilis unitas edocetur: ut erubescat Eudoxius, & Eunomius. Postremo, cum omnia per ipsum facta dicantur, ipse conditor novi utique testamenti & veteris designatur, ut Manichæus locum tentationis habere non possit.

Ex textu laudato, hæc in primis verba: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, ponderat, & ex illis demonstrat, Filium esse verum Deum, S. August. lib. 1. de Trin. c. 6. In eo autem declarat, inquit, non tantum Deum esse, sed etiam ejusdem cum Patre substantia; quia cum dixisset (Evangelista) Et Deus erat Verbum, hoc erat, inquit, in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Neque enim dicit omnia, nisi quæ facta sunt, id est, omnem creaturam. Unde liquido apparet ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia. Et si factus non est, creatura non est. Si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantia est. Omnis enim substantia, quæ Deus non est, creatura est; & quæ creatura non est, Deus est. Et si non est Filius ejusdem substantia, cujus est Pater: ergo facta substantia est. Si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At omnia per ipsum facta sunt. Unde ergo ejusdemque cum Patre substantia est; & idè non tantum Deus, sed & verus Deus.

Sic igitur argumentatur S. Augustinus, & quidem invictè. Omnia per Filium facta sunt, quæ scilicet facta sunt, hoc est, omnis creatura per Filium facta est. Ergo Filius non est creatura: alioqui Filius se ipsum fecit, quod repugnat. Ergo unam & eandem habet cum Patre substantiam: nam si non habet unam & eandem cum Patre substantiam, creatura est; quia si non habet unam & eandem cum Patre substantiam, habet substantiam factam: omnis enim substantia præter substantiam Patris facta est. Ergo Filius veram habet divinitatem: nam substantia Patris

tris vera divinitas est. Ergo Filius non solum Deus est; sed etiam verus Deus est: verus enim Deus est, qui veram divinitatem habet. Præterea, si Filius unius & ejusdem est substantiæ cum Patre, vel verus Deus est, vel Pater non est verus Deus: Pater enim non potest esse verus Deus, nisi per suam substantiam; & si Pater verus Deus est per suam substantiam, per eandem illam substantiam non potest Filius non esse verus Deus; quia substantia, si una & eadem est in utroque, vel in neutro, vel in utroque vera divinitas est.

Confirm. Cum in Scriptura dicitur: Omnia, quæ facta sunt, per Filium facta sunt; & omnia non sumitur in suppositione restricta, neque sensus esse potest, Omnia, quæ facta sunt, per Filium facta sunt præter ipsum Filium, qui à solo Patre factus est: postquam enim Evangelista dixit, *Omnia per ipsum facta sunt*, continuo subiicit: *Et sine ipso factum est nihil.* Unde vel omnia omnino, quæ facta sunt, per Filium facta sunt; vel horum verborum, *Et sine ipso factum est nihil*, sensus est, Et sine ipso factum est nihil ex iis, quæ per ipsum facta sunt. Quod manifestè nugatorium est; neque talis sensus divinæ Scripturæ attribui potest sine impietate & blasphemia.

Igitur omnia omnino, quæ facta sunt, per Filium facta sunt, Ergo Filius factus non est. Ergo Filius quam & eandem habet substantiam cum Patre. Cum enim acceperit esse à Patre, vel accepit esse distinctum & diversum ab esse Patris, vel non. Primum dici non potest; alioqui Filius factus est; nam factum dicitur illud omne & solum, quod habet esse distinctum & diversum ab eo, à quo accepit esse. Ergo secundum. At si Filius à Patre non accepit distinctum & diversum esse ab esse Patris, habet unum & idem esse cum Patre, unam & eandem essentiam, naturam, substantiam. Ergo Filius unius & ejusdem est substantiæ cum Patre. Ergo tam Deus est, & verus Deus, quam Pater; cum unam & eandem cum illo habeat divinitatem.

2. Joan. c. 10, sic ait Christus ipse: *Ego & Pater unum sumus.* Quibus verbis suam cum Patre æqualitatem & unitatem in essentia revelat, ut observat S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto c. 18. Cum dicit, *Ego & Pater, revelatur æqualitas.* Cum dicit, *Unum sumus, unitas declaratur:* vel, quod idem est, his verbis Christus revelat suam in essentia cum Patre identitatem, ut notat S. Augustinus in tract. 35. in Joan. Si unum, inquit, non ergo diversum, Sumus non diceret de uno. Sed unum non diceret de diversis. Diversitas autem non excluditur, nisi per identitatem: quapropter hoc ipso, quod Filius essentiam non habet ab essentia Patris diversam, hoc ipso, inquam, unam & eandem non potest non habere. At Filius, si Patri æqualis est in essentia, si unum & idem cum illo est in essentia, Patri æqualis est in deitate, cum Patre unum & idem est in deitate; vel verus Deus est, vel Pater ipse non est verus Deus, quia vel Filius veram habet deitatem, vel Pater ipse non habet.

Porrò, quod non est silentio prætermittendum, Christus his verbis: *Ego & Pater unum sumus*, tam clarè expressit suam cum Patre in deitate æqualitatem, unitatem, & identitatem, ut Judæi, quantumvis carnales, hoc statim intellexerint, & idcirco Christum, quasi blasphemantem, lapidibus obruere voluerint. Auditis enim his Christi verbis, continuo susculerant lapides Judæi, ut lapidarent eum. Et Christo dicenti: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* responderunt ei Judæi: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia, tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Intellexerunt igitur Judæi Christum, dicendo: *Ego & Pater unum sumus*, æqualitatem, unitatem, & identitatem in deitate cum Patre sibi vindicare; & idcirco, existimantes illum esse purum hominem, putarunt eum blasphemare, & propter præteritam illam blasphemiam, eum lapidare voluerunt.

Quod si Judæi, sic interpretando verba Christi, errassent, debuisset Christus illos ab errore revocare, seque excusare; quod facile poterat, verba sua exponendo, & dicendo v. gr. se aliud non intelligere, quam se unum esse cum Patre, eo modo quo purus homo unum cum eo esse potest, & quo fuerunt sanctissimi viri, putà Abraham, Isaac, Jacob, Moyles, &c. Hoc tamen minimè fecit; sed è contra ad probandum Judæis se verè locutum esse, dicendo: *Ego & Pater unum sumus*, etiam in eo sensu, quem ipsi intellexerant, provocat ad opera & miracula, quæ fecerat coram eis: *Quem Pater, inquit, sanctificavit, & misit in Mundum, vos dicitis, Quia blasphemias, quia dixi, Filius Dei sum* (dicendo scilicet me unum esse cum Patre: hæc enim duo convertuntur inter se, & sibi mutuo æquivalent, Filius Dei sum, Ego & Pater unum sumus.) *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*, per identitatem & unitatem essentiae, & ita ut cognoscatis, & credatis, quia ego & Pater unum sumus in essentia.

Quod autem Christus hic dicat, se esse in Patre, & Patrem vicissim in ipso per unitatem & identitatem essentiae, adeoque se unum esse cum Patre in essentia, ut verum ac genuinum illius fœtum, facile demonstratur. Nam cum dicit: *Pater in me est*, & ego in Patre; vel dicit se esse in Patre, ad modum rerum corporearum, ut v. g. aqua est in vase. At hoc non; tum quia neque ipse, neque Pater corpus est; tum quia si est in Patre, ut aqua est in vase, Pater non est in ipso; aqua enim est in vase, quo continetur; at vas non est in aqua, quam continet.

Vel dicit se esse in Patre eo modo, quo nos sumus in eo: in eo enim vivimus, movemur, & sumus, ut dicit Apostolus. At hoc non: nam si Filius eo modo est in Patre, quo nos sumus, eatenus est in Patre, quatenus vivit per Patrem: sumus enim in Patre, quatenus per Patrem vivimus. Filius autem non vivit per Patrem, quia vita est, sicut vita est Pater, ut ipse testatur, cum ait: *Ego sum via, veritas, & vita*; & vita per vitam non vivit, sed potius omnia vivificat: *Non ita Filius est in Patre*, inquit S. Athanasius, *ut nos in eo vivimus, movemur, & sumus; quia ipse est vita, & Pater, quasi ex fonte, dimanans, in qua omnia vivificantur, & constant; siquidem vita non per vitam vivit, alioquin omnino vita non esset, sed ipsa potius omnia vivificat.*

Præterea, quid opus erat miraculis, ut Judæi agnoscerent & crederent, Filium esse in Patre, & vicissim Patrem in Filio, eo modo, quo sumus omnes in Patre, & Patrem vicissim in nobis est? eo modo, quo necesse est, creaturam quamlibet esse in Patre, & vicissim Patrem in creatura qualibet? Imò verò cum Judæi crederent Christum esse purum hominem, & ita non alio modo ipsum esse posse in Patre, & Patrem in ipso, quam nos sumus in Patre, & Pater in nobis est; scandalizabantur, eumque blasphemare putabant, cum audiebant dicentem, se esse in Patre modo quodam peculiari, qui in puram creaturam cadere non posset.

Denique modus ille, quo sumus in Patre, & Pater in nobis est, supposita existentie divinæ notitia, naturali lumine cognoscitur, & creditur. At modus ille, quo Filius Judæis asserbat se esse in Patre, & Patrem vicissim in ipso, vim naturalis luminis & aciem superabat, nec sine operibus & miraculis, quæ faciebat Christus, certò cognosci, & prudenter credi poterat. Unde sine talibus operibus & miraculis, Judæi non credendo Christum esse verum Dei Filium, Patri deitate æqualem, & unum cum Deo Patre verum Deum, legitimam excusationem habuissent incredulitatis suæ, nec habuissent peccatum, ut ait Christus ipse: *Si opera, inquit, non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Vel dicit se esse in Patre, & vicissim Patrem in ipso,

Orat. 4. cont.
Arian.

Joan. c. 11.

Orat. ead.

ipso, eo modo, quo viri eximie sancti fuerunt in Patre, & vicissim in eis fuit Pater. At hoc non. Nam, ut ait S. Athanasius, *si res ita habuisset, nequaquam ita Dominus locutus fuisset; neque oportuisset illum verba sic concipere*: Ego in Patre, & Pater in me; sed potius: Et ego quoque in Patre, & Pater quoque in me; ut nihil sibi proprium eximiumque apud Patrem habere declararet, sed communem cum omnibus gratiam possidere. Præterea, si Christus non in alio sensu dixit, se esse in Patre, & Patrem in ipso, quare tandem aliquando mentem suam non exposuit clarius? Quare contra de se semper ita locutus est Judæis, ut Judæi semper intellexerint, eum se Deum, & Deo Patri aequalem facere? Denique si Christus propter eximiam sanctitatem, & alia supernaturalia, quæ sanctitatem eximiam comitari solent, dona, ut donum prophetiæ, & donum miraculorum, dicere potuit: *Ego in Patre, & Pater in me est*; quare nullus unquam ex iis omnibus, quos sive ante, sive post Christum ad eximiam sanctitatem exivit, & aliis supernaturalibus donis liberaliter exornavit Deus, ita locutus est, & dixit: *Ego in Patre, & Pater in me est*?

Vel dicit: *Pater in me est, & ego in Patre*, non quia unam & eandem habet essentiam cum Patre, sed quia excellenti quodam modo essentiam Patris participat, vi cujus participationis est absolutissima quædam Patris effigies vivens, intelligens, per se subsistens, sed distincta & diversæ essentia ab essentia Patris, cujus est effigies. At hoc non. Nam propter talem participationem, vi cujus creatura aliqua esset absolutissima quædam Patris effigies, extrema scilicet & supersubstantialis, Pater quidem aliquo modo dici posset esse in illa creatura. At illa creatura non posset dici esse vicissim in Patre: Rex enim v. gr. aliquo modo dici potest esse in tabella, ipsum representante: At tabella ipsa non potest dici esse vicissim in Rege. Itaque si Filius non esset, nisi excellentissima quædam creatura, essentiam Patris excellentissimo quodam modo participans, & ita excellentissimo quodam modo Patrem exprimens, posset quidem dicere, Pater in me est, velut prototypum in sua imagine: At non posset vicissim dicere: Et ego sum in Patre, velut imago in prototypo. Non potuit ergo Christus dicere: *Pater in me est, & ego in Patre*, ut significaret tantum, se excellentissimo quodam modo essentiam Patris participare, & sic participando, excellentissimam quandam Patris similitudinem præferre, atque ita se absolutissimam quandam Patris effigiem esse, qualis nulla alia creatura est, aut esse potest.

Præterea, si Filius distinctam & diversam habet essentiam ab essentia Patris, quantacumque aliunde supponatur habere similitudinem cum Patre, non magis potuit propter hanc similitudinem dicere: *Pater in me est, & ego in Patre*, quam dici potest propter similitudinem, quam habet stannum cum argento, aut æs fulvens cum auro, quantacumque supponatur esse hæc similitudo, quam, inquam, dici potest: Stannum est in argento, & argentum in stanno; æs fulvens est in auro, & aurum in ære fulvescente. Atqui neutrum hoc dici potest tolerabiliter. Ergo, &c.

Præterea, in humanis, in patre & filio eadem est specificæ essentia, & tamen propter identitatem hanc specificam dici non potest: Pater est in filio, & filius in patre; quia cum hac identitate specifica conjuncta est diversitas, seu distinctio numerica essentiarum. Ergo multò minus in divinis dici posset, Pater est in Filio, & Filius in Patre, si Filius non modò distinctam, sed etiam diversam haberet essentiam ab essentia Patris. Item, sicut in humanis tunc tantum rectè diceretur, Pater est in filio, & filius in patre, cum esset eadem utriusque essentia non solum specie, sed etiam numero: ita Filius in divinis rectè dicere non potuit: *Pater in me est, & ego in Patre*, nisi unam & eandem cum illo haberet essentiam etiam numericè. Ratio à priori manifesta

Simonnet Theol. Tom. I.

est, quia ad proprietatem hujus dicti requiritur in Patre & Filio omnimoda identitas in essentia, cum distinctione personarum.

Superest igitur ut Filius dicat: *Pater in me est, & ego in Patre*, quia unam & eandem numero essentiam seu substantiam habet cum Patre; & Pater est in Filio, & vicissim Filius in Patre, propter unitatem & identitatem omnimodam essentia seu substantia in utroque. Quod confirmari potest ex c. 14. ejusdem Evangelistæ, ubi Philippo dicenti: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*; respondet Christus: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Juxta Filium ipsum, qui videt Filium, videt Patrem; sicut & vicissim qui videt Patrem, videt & Filium (eadem enim pro utroque ratio est, & unum sine altero esse non potest,) quia Filius est in Patre, & vicissim Pater est in Filio. At hæc ratio manifestè nulla est, nisi, Filium esse in Patre, & Patrem in Filio, idem planè sit, ac, Patrem & Filium unam & eandem habere essentiam; vel, si vis, nisi ad hoc, ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio, requiratur una & eadem omnino in utroque essentia.

Itaque cum dicitur: Qui videt Filium, videt & Patrem; & vicissim: Qui videt Patrem, videt & Filium; quia Pater in Filio est, & Filius in Patre; perinde est ac si diceretur: Qui videt Filium, videt & Patrem; quia qui videt Filium, videt totam substantiam Patris; & vicissim, qui videt Patrem, videt & Filium; quia qui videt Patrem, videt totam substantiam Filii. Qui autem videt Filium, videt substantiam totam Patris, & vicissim, qui videt Patrem, videt totam substantiam Filii; quia una & eadem numero est substantia Patris & Filii.

Ista igitur: *Ego & Pater unum sumus. Filius Dei sum. Pater in me est, & ego in Patre. Qui videt me, videt & Patrem*; inter se connexa sunt, & convertuntur, idemque apertè significant, vel supponunt, unam scilicet & eandem esse essentiam, unam & eandem divinitatem Patris & Filii, adeoque Filium cum Patre unum verum Deum esse. Audiamus hac de re S. Athanasium: *Soli (Filio) competit illud dictum: Ego in Patre, & Pater in me. Est enim Filius in Patre, quatenus intelligere conceditur, eo quod quicquid est Filius, id universum sit proprium substantia Patris, veluti ex lumine proradiationem, & fluxum ex fonte, ut qui Filium videat, id videat, quod est Patri suum ac proprium, ac intelligit, quod Filius sit, eam essentiam ex Patre esse, atque ita eum in Patre existere. Estque viceversa Pater in Filio, eo quod id, quod est Patri proprium ac suum, id ipsum sit Filius, ut in radiis sol, mens in ratione, fons in flumine: atque ita quis videns Filium, videt id quod proprium est substantia Patris, & intelligit Patrem in Filio esse. Nam cum species deitasque Patris essentia sit Filii, bene consequitur, ut Filius in Patre existere dicatur, & Pater in Filio. Ideoque merito cum antea dixisset: Ego & Pater unum sumus subinjecit ista: Ego in Patre, & Pater in me; ut identitatem divinitatis unitate essentia demonstraret.*

3. Juvat adhuc divinitatem Filii accuratius ostendere ex cap. illo 14. Joan. jam à nobis laudato, ubi sic loquitur Filius: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum*. Sic autem loquentem Christum audiens Philippus ait: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Philippum objurgans Christus ita respondet: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?* Ex his,

Argumentor sic. Christus Philippum objurgat, quòd cognito & viso Filio, adhuc petat, sibi ostendi Patrem. Atqui hæc objurgatio esset manifestè iniqua, si Filius non esset verus Deus, sed creatura: nam si Filius esset creatura, quantumcumque supponeretur superare creaturas ceteras in perfectione, quantacumque cum excellentia supponeretur participare per-

Orat. ead.

perfectiones divinas, adhuc infinitis numeris minor esset & inferior Patre; adeoque, eo quantumlibet cognito & viso, adhuc æquissima & laudabilissima esset postulatio Philippi, cupientis sibi videndi Patris copiam fieri.

Et verò quid naturæ insitum magis, quàm, viso opere, opificem videre velle, & eò ardentius velle, quò majoris excellentiæ opus est? Quid rationi consonum magis, quàm, visa creatura, desiderare visionem creatoris, & eò vehementius desiderare, quò creatura excellentior est, adeoque plures sunt in ea perfectiones divinæ, aut eadem præstantius reluctant? Itaque si Filius est creatura, non culpandus, sed è contra laudandus fuit Philippus, quòd viso Filio, Patrem quoque videre cuperet. Nam si Filius est creatura, viso Filio, Patrem quoque videre cupiendo, cupiebat tantum, visa creatura, eaque excellentissima, illius quoque authorem & creatorem videre.

Præterà, cum Filius ait: *Qui videt me, videt & Patrem*, vel sensus est: *Qui videt figuram meam, videt figuram Patris*; vel sensus est: *Qui videt substantiam meam, videt substantiam Patris*. Non primum; nam esse figuratum, corporearum substantiarum proprietas est, non spirituum. Pater autem & Filius non corpus sunt, sed spiritus. Ergo secundum. Ergo qui cognoscit substantiam Filii, cognoscit substantiam Patris, & qui videt substantiam Filii, videt substantiam Patris. Ergo substantia Filii non est diversa à substantia Patris. Nam si alia esset substantia Filii, & alia substantia Patris, tam falsò diceret Filius: *Qui videt substantiam meam, videt & substantiam Patris*; quàm falsò diceretur: *Qui videt substantiam stanni, videt & substantiam argenti*; aut: *Qui videt substantiam æris, videt & substantiam auri*. Hoc autem utrumque falsò diceretur, quamvis specialem aliquam inter se similitudinem habeant stannum & argentum, æs & aurum; quia cum hac speciali similitudine, diversa est substantia stanni à substantia argenti, & substantia æris à substantia auri. Implicat autem unam substantiam videri in alia & diversa substantia: *Nemo*, inquit S. Chrysostomus, *quid sit aurum nesciens, potest auri in argenti videre substantiam. Non enim alia per aliam natura videtur*. Ergo Filius non est creatura; quia si esset creatura, diversam haberet substantiam à substantia Patris. Ergo verus Deus est.

Denique sicut cum in creatis dicimus: *Qui videt unum, videt & aliud*; intendimus significare, unum cum alio perfectam habere similitudinem, sic ut unum nihil habeat, quod non habeat aliud: ita & cum Filius dicit: *Qui videt substantiam meam, videt & substantiam Patris*; à se & à Patre omnem remouet dissimilitudinem in substantia, & asserit se Patri per omnia similem in substantia. Ergo Pater & Filius sunt perfectè seu absque omni varietate similes in substantia. Ergo sunt unum in substantia: illa enim sunt unum in substantia, quæ nullam habent diversitatem in substantia. Ergo sunt perfectè æquales in substantia; nam si unum sunt in substantia, neuter alterum excedit in substantia. Ergo Pater Filio major non est deitate; alioqui in substantia inæquales erunt. Ergo Filius tam verus est Deus, quàm Pater.

4. Joan. cap. 1. vers. 14. dicitur: *Verbum caro factum est ... & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*. Eodem cap. vers. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Cap. 3. vers. 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Eodem cap. vers. 18. *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. Ejusdem epist. 1. cap. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in Mundum, ut vivamus per eum*. Et epist. ad Roman. cap. 8. *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. At, obsecro, quid Scriptura divina, cum toties Verbum vocat

Filium Dei unigenitum, cum Verbum vocat proprium Dei Filium, quid, inquam, significat, nisi Verbum esse verum & propriè dictum Filium Patris, verum & genuinum sœrum Patris; Patrem verè & propriè genuisse Verbum, & ita Verbum esse verè & propriè de substantia Patris? Unde dicitur esse in Patris sinu, quia unam & eandem cum illo substantiam habet. Et dicitur Patris unigenitus, quia solus de Patris substantia & productus est, & produci potuit.

Nomen, inquit Cyrillus, *unigeniti, ex alicujus natura genitum, non ex arte elaboratum significat. Aut certe prodeant in medium responsuri, ubinam dictionem illam legerint de ulla re usurpata, quæ arte & scientia fabricata sit? Rectè sanè dictum*. Nomen unigeniti pro supposito de substantia alterius producto, tum in Scripturis, tum alibi multoties positum reperias; pro artefacto verò nequè in Scripturis, neque alibi saltem seriò usurpatum unquam invenies. Ergo cum Scripturæ nomen illud toties attribuunt Verbo, Verbum de substantia Patris productum esse, nobis inculcare volunt. Scripturas enim soli Verbo in sensu alieno & improprio, atque planè inusitato, attribuire nomen unigeniti, sine dementia dici non potest.

Præterea, ex allegatis textibus sic argumentor. Verbum est Filius Patris, vel vi adoptionis, vel vi productionis suæ. Tertium enim excogitari non potest, vi cuius Verbum sit Filius Dei. Atqui dici non potest Verbum esse Filius Patris per adoptionem; quia si esset tantum Filius Patris per adoptionem, malè diceretur unigenitus Dei Filius: esset enim tantum Filius adoptivus, præter quem Deus longè plures alios, tum ex Angelis, tum ex hominibus, haberet Filios adoptivos. Adde quòd nullus unquam Filius adoptivus, tametsi unicus esset, dictus sit unigenitus Filius. Ergo Verbum est Filius Patris, vi productionis suæ. Ergo sicut in creatis homo alterius hominis Filius est vi productionis suæ, quia processit ab eo in perfectam similitudinem seu in identitatem naturæ & essentiæ; ita Verbum in divinis est Patris Filius vi processions suæ, quia procedit à Patre in perfectam similitudinem & identitatem naturæ & essentiæ, seclusis imperfectionibus, quæ in creatis reperiuntur. Ergo Verbum habet unam ac eandem naturam & essentiam cum Patre. Ergo Verbum est verus Deus.

Amplius, Verbum est Filius Patris vi productionis suæ. Ergo productio Verbi est generatio: productio enim, qua quis alterius Filius est, est generatio. Ergo Pater generat Verbum. Ergo Pater de sua substantia producit Verbum. Nam generare, est de sua substantia producere. Ergo Verbum est de substantia Patris. Ergo Verbum habet totam substantiam Patris. Verbum enim nec est, nec potest esse de Patris substantia, per ejus partitionem, vel decisionem, vel dilatactionem: unde superest, ut sit de substantia Patris per communicationem & transfusionem totius hujus substantiæ. Ergo una & eadem est numero Patris & Verbi substantia. Ergo & una divinitas. Ergo Verbum cum Patre unus verus Deus est.

5. Idem Joannes Apostolus in epist. 1. cap. 5. sic ait: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum (Patrem), & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna*. Juxta Apostolum, Verbum verus Deus est, adeoque & vita æterna, quia veri Dei verus Filius est: nam si veri Dei verus Filius est, de Deo vero natum est: si de Deo vero natum est, cum Deo vero unius substantiæ est: non potest autem cum Deo vero unius esse substantiæ, quin ipsum quoque sit verus Deus, & vita æterna.

Juxta Apostolum, Filius in divinis verus Filius est Patris. Ergo verè natus est de Patre: nam si de Patre verè natus non est, factus est; & si factus est, non est verus Filius, sed opificium seu factura. Ergo verè est de substantia Patris: nam si non est de substantia Patris, de Patre non est na-

Dial. 4. de Trinit.

Hoc 74 in Joan.

ARTICULUS II.

Solvuntur objectiones, à Sacra Scriptura petite.

tus, sed à Patre factus. Ergo unius est substantiæ cum Patre, qui est verus Deus. Ergo ipse quoque verus Deus est, & vita æterna.

Juxta Apostolum, Filius in divinis verus Deus est. Ergo factus non est: nam si factus est, diversæ substantiæ est; & si diversæ substantiæ est, vel non est Deus, vel plures sunt Dii, quod implicat. Ergo natus est: nam si factus non est, natus est. Ergo unius est substantiæ cum Patre. Ergo verus Filius est. Hæc igitur: *Verus Filius est, Verus Deus est*, convertuntur inter se. Non potest Filius esse verus Filius, quin sit verus Deus; nec vicissim potest esse verus Deus, quin sit verus Filius: quia neutrum esse potest, quin sit unius substantiæ cum Patre. Loca igitur, quæ probant Filium esse verum Filium, probant eum esse verum Deum: sicut vicissim, quæ probant esse verum Deum, probant eum esse verum Filium. Sed loca, quæ vocant eum unigenitum, probant eum esse verum Filium: nunquam enim nomen unigeniti, nisi de vero Filio dictum est. Ergo probant eum esse verum Deum, quia nimirum probant eum, non factum, sed natum esse de Patre, adeoque unius esse cum Patre substantiæ. Quod confirmat ea, quæ superiori numero dicta sunt.

6. Christus ipse, Joan. cap. 16. ait: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. In quæ verba sic ratiocinatur Sanctus Augustinus: *Nihil Patre minus habet ille, qui dicit, Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Aequalis est igitur, Patri æqualem se pariter profiteatur Filius, ejusdem cap. 5. cum dicit: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Quibus Christi verbis hæc subjicit: Propterea ergo magis querebant eum Judæi interficere; quia non solum solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Aded manifestè Christus, sic loquendo, se & verum Dei Filium asserbat, & Patri per omnia equiparabat. In hunc locum eleganter sic disserit S. Augustinus: Omnes dicimus Deo: Pater noster, qui es in Cælis. Legimus & Judæos dixisse: Cum tu sis Pater noster. Ergo non hinc irasciebantur, quia Patrem suum dicebat Deum: sed quod longe alio modo, quam homines. Ecce intelligunt Judæi, quod non intelligunt Ariani. Et verò Christus, sic loquendo, virtutem operandi, & operationem ad extra sibi cum Patre communem esse, adeoque unam & eandem sese cum eo essentiam habere, ac proinde se Filium Patris esse, non adoptione, ut sunt Angeli & homines, sed naturali generatione, asserbat; & asserendo, se Patri majestate, gloria, virtute, & deitate parem faciebat.*

Eandem æqualitatem Christo, quam ipse pluribus aliis locis sibi apertè vindicat, attribuit diserte Apostolus in epistola ad Philipenses cap. 2. cum ait: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Ex his autem omnibus sic argumentor breviter. 1. Ille non est creatura, qui jure se exæquat Deo. Sed Filius jure se exæquat Deo. Ergo non est creatura, adeoque verus Deus est. 2. Ille verus Deus est, qui vero Deo deitate par est. Atqui Filius deitate par est Patri, qui verus Deus est. Ergo, &c. Deitate autem Patri par est, quia in forma Dei est, hoc est, quia Patris substantiam habet. Cum enim Apostolus dicit, Filium in forma Dei esse, id est, formam Dei habere; vel per Dei formam intelligit tantum excellentem quandam participationem substantiæ divinæ, vel ipsammet substantiam divinam intelligit. Non primum: alioqui Filius est tantum creatura, proindeque, contra id quod dicit Apostolus, non potest sine rapina arbitrari se æqualem Deo. Ergo secundum. Ergo Filius æqualis est Deo Patri, quia substantiam divinam habet, sicut Pater. Aliis etiam argumentis Verbi divinitas demonstrata est, disput. II. ad quam Lectorem remittimus.*

Obj. 1. Secundum Scripturam Sacram, Filius est minor Patre. Ergo non est verus Deus, sed creatura. *Prob. ant. Ex verbis ipsius Christi, Joan. cap. 14. ubi ait, Pater major me est. Resp. dist. ant. Secundum Scripturam Sacram, Filius Patre minor est secundum naturam, quam in tempore assumpsit in utero Virginis, Conc. ant. Secundum naturam, quam à Patre accipit in æternitate, Nego ant. Nam à Patre accipit in æternitate eandem numero naturam & essentiam, quam habet ipse Pater, adeoque secundum illam, Patri æqualis est; secundum illam, unius est cum Patre naturæ, essentiæ, substantiæ. Quæ autem unum sunt in aliqua ratione, in ea ratione æqualia sunt, quia neutrum excedit alterum in ea ratione. Filius igitur tam verus est Deus, quam Pater; licet post incarnationem sit etiam verus homo, & quæ talis, minor Patre. Unde neg. consequ.*

Ad prob. ant. Resp. Christum ibi loqui de se secundum naturam humanam, quam assumpsit in tempore, & sibi hypostaticè copulavit in utero Mariæ. Nota. Christus in Scriptura Sacra de se ipso loquitur, modò secundum humanam naturam, ut loco citato, ubi dicit, Pater major me est; modò secundum naturam divinam, ut ejusdem Evangelistæ c. 10. ubi ait: Ego & Pater unum sumus. Similiter Apostolus modò loquitur de Filio secundum humanitatem, ut cum ait 1. Cor. cap. 15. Cum subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia; hoc est, creaturæ omnes subiectæ erunt Filio etiam quæ homini, & ipse quæ homo subiectus erit Patri: modò loquitur de eo secundum divinitatem; & tunc eum exæquat Patri, ut cum ait cap. 2. epistola ad Philipp. Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.

Obj. 2. Non nisi inferioris est obedire superiori; five, quod idem est, obedientia non est, nisi inferioris ad superiorem. Atqui, secundum Scripturam, Filius obedit Patri: nam ipse ait Joan. c. 6. *Descendi de Cælo, non ut facerem voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Ergo, &c. *R. dist. min. Secundum Scripturam, Filius quæ homo, obedit Patri, C. min. Quæ Deus, N. min. Vel, si vis, dist. sic. Filius secundum naturam, quam assumpsit in tempore, obedit Patri, C. min. Secundum naturam, quam habet in æternitate, N. min. Nam secundum hanc naturam, æqualis est Patri, quia secundum hanc naturam, unum est cum Patre. Inter æquales autem, obedientia propriè dicta locum non habet.*

Ad prob. min. Resp. Christum ibi loqui de se ipso, ut homine. Sicut enim Filius non aliter descendit de Cælo, quam assumendo naturam humanam in utero Virginis, & ita incipiendo esse in terra novo aliquo modo, quo in ea antea non erat; tunc enim primum cæpit esse visibiliter ut homo in terra, in qua antea tantum fuerat invisibiliter ut Deus, propter immensitatem suam; ita non aliter descendit de Cælo, ut non suam, sed Patris voluntatem faceret, quam assumendo in utero Virginis naturam humanam ex intentione subiacendi hujus naturæ voluntatem voluntati divinæ, quæ voluntas Patris est, nec Patris tantum, sed & Filii & Spiritus Sancti.

Nota. Sicut in Filio post incarnationem duæ sunt naturæ, una per identitatem cum Filii proprietate relativa, seu personalitate, per quam, quia natura divina est, Filius verus Deus est, & æqualis Patri; & altera per unionem substantialem cum eadem personalitate Filii, per quam, quia creata & humana natura est, Filius est verus homo, & Patre inferior: ita in Filio post incarnationem duæ sunt voluntates, una divina, quæ tribus personis communis est, & altera humana, quæ solius Filii est, quia solus ex tribus personis homo factus est. Cum autem in Christo secunda voluntas priori subiecta debeat esse,

Q 3 & sit;

& sit; Christus secundum unam suam voluntatem, nempe creatam & humanam, sibi ipsi & aliis personis subiectus est, & secundum voluntatem illam factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ut dicit Apostolus.

Obj. 3. Filius ex nihilo productus est, juxta illud Prov. c. 8. *Dominus creavit me in initio viarum suarum.* Item factus est, ut testatur Jo. Bapt. Joan. c. 1. *Qui post me venturus est, ante me factus est.* Item in natura creaturis similis est, utpote primogenitus illarum, juxta illud Apostoli ad Coloss. cap. 1. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creature.* Ergo Filius creatura est. Ergo non est Deus.

Ad 1. partem objecti. Resp. neg. Ad prob. dico, tota creati, si quando in Scriptura de Filio dicitur, idem significare, ac produci absque omni mutatione, vel diminutione producentis. Relatè igitur ad Filium creati, non excludit generari, nec generari excludit creati. Pater generat Filium, quia producit illum de sua substantia, & generando creat illum, quatenus producit illum de sua substantia absque omni mutatione, vel diminutione sui: illum enim producit, totam suam substantiam in eum transfundendo: sic autem totam transfundit, ut totam retineat.

Ad 2. part. R. neg. Juxta illud Symboli Nicæni, *Genitum, non factum, consubstantialem Patri.* *Ad prob. R.* sensum esse: Qui post me venturus est ad condendam legem gratiæ, mihi prælatu est, vel mihi facile anteponeatur. Quod pater ex verbis, quæ subsequuntur: *Quia prior me erat,* quia erat natu major, non quidem secundum naturam humanam; Christus enim post Joannem Bapt. & conceptus, & natus est; sed secundum naturam divinam, secundum quam & conceptionem & nativitatem Joannis Bapt. tota æternitate antecessit, & verè aliquando dicebat Judæis: *Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.*

Ad 3. part. Resp. etiam neg. Neque enim ab Apostolo dicitur primogenitus omnis creature, quod si similis sit creaturis in natura; nam si naturam creaturis similem habet, quomodo, ut ibidem dicit Apostolus, imago est Dei invisibilis; imago, inquam, non qualicumque, sed prototypo per omnia similis; sed quod ab æterno de Patris substantia genitus sit, adeoque genitus sit, antequam ulla creatura de nihilo produceretur: Quod si, inquit Novatianus, & primogenitus omnis creature ab Apostolo dictus sit Christus; quomodo omnis creatura primogenitus esse potuit, nisi quoniam secundum divinitatem ante omnem creaturam ex Patre Deo sermo processit? Non est omitrendum, Concilium Toletan. 11. illud, *primogenitus omnis creature,* intelligere de Christo ut homine. *Hic enim,* inquit, *qui ante sæcula unigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est: unigenitus propter divinitatis substantiam: primogenitus propter assumptionem carnis naturam.*

Obj. 4. Filius fuit tantum instrumentum Patris in creatione mundi, juxta illud Joan. cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo, &c. *Resp. neg. ant.* Cum enim mundus ex nihilo productus fuerit per omnipotentiam communem tribus personis, tam Filius & Spiritus Sanctus sunt causa principalis productionis mundi, quam Pater: imò Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt una mundi causa principalis. *Ad prob. autem dico,* to per, significare posse, & hic significare causam principalem; & cum dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt,* perinde est ac si diceretur, Omnia ab ipso facta sunt; nisi fortè maluerit Evangelista dicere, *Omnia per ipsum facta sunt,* ad connotandum Patrem, à quo per generationem naturalem Filius virtutem creatricem accepit, & ut innuat Filium operari ad extra per virtutem acceptam à Patre. Unde fit ut Pater aliquo sensu dici possit per Filium ad extra operari, sic tamen ut nullo modo possit dici, per Filium ad extra operari tanquam per instrumentum: quia alia est virtus causæ principalis, & alia causæ instrumentalis; cum alia sit essentia causæ principalis, & alia causæ instrumentalis. At in Patre &

Filio una & eadem numero virtus est, sicut una & eadem numero essentia.

Obj. 5. Quidquid habet Filius, habet à Patre, juxta illud Matth. cap. 11. *Omni mihi tradita sunt à Patre meo.* Nec Filius habet omnia, quæ habet Pater, juxta illud Matth. cap. 20. *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Ergo Filius inferior est Patre, adeoque non est verus Deus. *Resp. ad 1. part. ant.* Filium habere à Patre, quidquid habet, sed habere absque dependentia & imperfectione: ita ut in divinis non melius sit Patri, dare, quam Filio, accipere. *Ad prob. dico:* Vel verba illa intelliguntur de Filio ut homine, & tunc non sunt ad rem, illorumque sensus est: Mihi ut homini, à Patre concessa est omnis potestas gubernandi & salvandi homines; vel intelliguntur de Filio ut Deo, & tunc manifestè ex illis asseritur Filio vera deitas: nam sensus illorum est: Omnes perfectiones, quas habet, communicavit mihi Pater, excepta sola paternitate, quæ incommunicabilis est. Unde sequitur Filium Patri in omnibus essentialibus æqualem esse.

Ad 2. partem ant. R. Filium habere omnia, quæ habet Pater, sola paternitate excepta, quia Filio communicari non potuit, propter oppositionem, quam habet cum filiatione. Hinc Pater Filio superior nec est ratione perfectionis alicujus absolute, quia nullam habet, quam non habeat Filius, qui idcirco dicitur Joan. cap. 16. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt;* nec ratione paternitatis, quia paternitas non est majoris æstimabilitatis & excellentiæ, quam filiationis. *Ad prob. R.* verba illa intelligenda esse de Christo ut homine; & eorum sensus est: Non decet me, qui sum justus, primas sedes regni mei dare vobis, quia estis affines mei, sed iis, qui eas merebuntur, & quibus eas ab æterno præparavit Pater meus. Præparavit autem Pater, non solus, sed cum Filio & Spiritu Sancto, quia præparavit voluntate tribus personis communi.

Obj. 6. Filius ipse in Scripturis multa confitetur, quibus se Deum non esse ostendit. Nam fatetur, 1. se omnia, quæ scit, à Patre didicisse: *Pater diligit Filium,* inquit Joan. cap. 5. & omnia demonstrat ei. 2. Se aliqua ignorare, quæ à Patre sciuntur: *De die autem illo vel hora,* inquit Marci c. 13. *nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater.* 3. Se non esse bonum. *Quid,* inquit Marc. c. 10. *me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.*

R. neg. Obj. Ad 1. prob. Dico, Filium non didicisse à Patre, sicut discipulus dicit à magistro, sed omnium scientiam à Patre per nativitatem accepisse. *Ad textum R.* vel Filium loqui de se ipso ut homine, & tunc textus non est ad rem; vel loqui de se ipso ut Deo, & tunc loci sensus est: Pater omnia demonstrat Filio, non docendo, aut infundendo scientiam, sed generando, & per generationem communicando substantiam divinam primariò, ut est intelligentia, & cognitio rerum omnium. Unde Filius habet ut sit Verbum Patris.

Ad 2. prob. R. Filium, de se loquentem ut Deus est, nunquam dicere, quod ignoret aliqua ex iis, quæ scit Pater. *Ad textum,* dico Filium loqui de se ipso ut homine, & dicere se diem judicii nescire, non simpliciter; nam, ut ait Apostolus in epist. ad Coloss. c. 2. in illo, etiam ut homine, *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi;* sed secundum quid, hoc est, se ut hominem non scire diem judicii ea scientia, quam communicare possit Apostolis. Unde tantum sequitur Filium, qui ut homo ad homines venerat tanquam legatus Patris, à Patre potestatem non accepisse, omnia, quæcumque sciebat, hominibus manifestandi; sed in mandatis habuisse, ut eos celeret aliqua, putà diem judicii.

Porro ad textum laudatum aliter responderet, 1. S. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 7. ubi ait, locum ab Arianis corruptum fuisse, & additum: *Neque Filius.* Ambrosio suffragatur sanctus Hieronymus in commentario ad illa verba Matthæi, ubi ait: *In quibusdam Latinis*

Joan. c. 8.

Lib. de Trin.
cap. 16.

Latinis Codicibus additum est, Neque Filius: cum in Graecis, & maxime Adamantii & Pierii exemplaribus, hoc non habetur adscriptum.

2. Responder S. Athanasius orat. 4. contra Arianos, Filium ut hominem, revera ignorasse diem iudicii: *Manifestum est, inquit, & finis universitatis horam, ut Verbum est, cum cognoscere: ut autem homo est, ignorare. Est enim proprium hominis ignorare, & ista praesertim. Verum id Salvatoris nostri benignitati peculiare est. Nam postquam homo factus est, non cum puduit propter carnem ignorantem dicere, Non novi; ut ostenderet se ut Deum scientem, nescire carnaliter. Quapropter minime dixit, Neque Filius Dei: ut ne divinitas ipsa nescire videatur; sed simpliciter, Neque Filius: ut ex hominibus nato Filio ignorantia tribuatur. Et inferius: Ut enim homo factus, cum hominibus esurire, & sitire, & patitur; ita cum hominibus tanquam homo nescit. Divinitus autem existens in Patre, utpote Verbum & sapientia, novit, & nihil ignorat. Eodem modo respondent Eustathius Antiochenus apud Facundum lib. 2. Greg. Nazianz. orat. 36. Cyrill. l. 22. thesaur. &c.*

Ad 3. Prob. R. neg. Ad text. autem dico, Christum increpare adolescentem, quia cum bonum vacabat, & tamen credebatur non esse Deum, sed purum hominem, adeoque, quamvis obscure, se & bonum & Deum profiteri: perinde enim est, ac si diceret: Cum me purum hominem existimes, cur me singulariter bonum dicis: unus enim Deus dignus est, qui singulariter bonus dicatur; cum solus per essentiam bonus sit, creatura vero bonae sint contingentem tantum; cum solus à se ipso bonus sit, creatura vero bonae sint per bonitatem acceptam ab eo. Aut desine dicere me singulariter bonum, aut crede me non solum hominem esse, sed etiam verum Deum.

Responderi etiam potest, Christum loco allegato loqui de se ipso ut homine, & prae modestia increpare adolescentem, quod eum etiam ut hominem singulariter bonum vocet, cum solus Deus singulariter bonus dicendus sit: *Deus, inquit S. Augustinus, singulariter bonus est, & hoc amittere non potest. Nullius enim boni participatione bonus est, quoniam bonum, quo bonus est, ipse sibi est: homo autem cum bonus est, ab illo bonus est, quod à se ipso esse non potest.* Cum autem Christus dicit unum aut solum Deum bonum esse, non dicit cum exclusionem sui, sed aliorum omnium, quia sunt puri homines.

ARTICULUS III.

De veterum quorundam Scriptorum Ecclesiasticorum, qui ante seculum quartum, & exortam Arianam haeresim floruerunt, sententia circa Verbi divinitatem.

§. I.

De S. Justina Martyre.

S. Anctus Justinus, Philosophus & Martyr, floruit tempore Antonini Pii, & successorum ejus Marci Aurelii & Lucii Veri. De illo autem quaeritur, utrum recte, an male senserit de Verbi divinitate.

RESPONSIO.

S. Justinus de divinitate Verbi id sensit, quod sensit Ecclesia Catholica.

Prob. Nam 1. in Cohortatione ad Graecos ait, Sybillam disertis verbis clare praedicere adventum Salvatoris nostri Jesu Christi, qui cum Dei sit Verbum, virtute ac potentia ab eo indiscerum, homine assumpto, ad memoriam nos priscorum parentum religionis revocavit. Ecce, juxta S. Justinum, Filius est Verbum Dei, ab eo virtute & potentia indiscerum, hoc est, unius virtutis & potentiae cum Patre; vel, si vis, virtute & potentia Patri aequale. At qui dicit Filium Patri aequalem virtute & potentia, dicit aequalem deitate; qui dicit Patrem & Filium unius & ejusdem esse virtutis ac

Simonnet Theol. Tom. I.

potentiae, dicit unius & ejusdem esse naturam & essentiam. Ergo, &c.

2. In Apologia prima haec habet: *Universarum rerum Patri, quia ingenuus est, nomen impositum non est ... Porro Filius ejus, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum, simul cum illo ante creaturas & existens & nascent, quoniam primitus per eum cuncta condidit, & ornavit. Hic non semel S. Justinus veram Verbo divinitatem vindicat. 1. Enim dicit Verbum esse proprie Filium Dei Patris, qui ingenuus est. Proprie autem Filius non est, nisi qui ejusdem est naturae cum Patre. 2. Dicit Verbum solum esse proprie Filium Dei Patris: nonnisi quia cetera omnia, quae per ipsum condita sunt, & ornata, diversa sunt naturae à natura Patris, qui proinde non nisi improprie dici potest eorum Pater. 3. Dicendo Verbum ante creaturas simul existere cum Patre, facit illud Patri coeternum, & *Sinaidion*, cumque manifeste separat à creaturarum consortio. At si Verbum non est creatura, non potest esse, nisi verus Deus. 4. Dicendo illum nasci, dicit illum esse de substantia Patris: nasci enim ab aliquo, & de substantia illius produci, unum & idem sunt.*

Idem planè docet in Apolog. 2. ubi sic loquitur: *Jesus Christus, unus & solus proprie Filius de Deo genitus, qui nimirum ratio, & verbum ejus, & primogenitus, & virtus est nos ista docuit. Secundum Justinum, Christus unus & solus est proprie Filius Dei Patris, quid expressius? Unus autem & solus est proprie Filius Dei Patris, quia unus & solus de Deo Patre genitus est. Quid planius? Unus autem & solus de Deo Patre genitus est, quia cetera omnia quae per ipsum facta sunt, & quorum Deus Pater utcumque Pater nominatur, de non extantibus facta sunt; ipse vero de extante Patris substantia productus est. Non enim alia ratio esse potest, cur ipse potius dicatur de Deo Patre genitus, quam cetera, quae per ipsum condita sunt; & si pariter de non extantibus productus est, tam ipse factus est, quam cetera, quae per ipsum facta sunt, nec magis proprie, quam illa, de Deo Patre genitus est. Quod Justino non potuit non esse manifestum.*

Hinc in eadem Apologia aperte dicit, non solum Patrem, sed etiam Filium esse Deum, eo quod Patris primogenitus sit, hoc est, quod ante creaturarum productionem, & ab aeterno de Deo Patre genitus sit: *Qui enim, inquit, Filium Patrem esse dicunt, compariuntur neque Patrem scire, neque Filium esse Patri universorum nosse: qui quod verbum & primogenitus Dei sit, Deus etiam est. Rectè autem dicit Justinus, Filium probari Deum esse, non solum quia primogenitus est Dei Patris, sed etiam verbum ejus est: nam si verbum Patris est, de corde ejus prolatus est, juxta illud: *Eruitavit cor meum verbum bonum.* Verbum autem divinum de corde Patris prolatum esse, quid aliud est, quam verbum illud productum esse de substantia Patris? At si de substantia Patris productum est, unius est cum Patre substantiae; adeoque cum eo unus Deus est.*

3. In Dial. cum Tryphone sic loquitur: *Aliud vero etiam vobis, o amici, ex sacris litteris producam testimonium, primitus ante creaturas omnes Deum genuisse ex se virtutem quandam rationalem, quae quidem & gloria Domini à Spiritu S. vocatur, nonnunquam autem Filius; aliquando sapientia, quandoque Angelus, interdum Deus, aliquando Dominus & Verbum ... in hominis forma Josue Nave filio apparet. His enim nominibus omnibus appellari habet, cum ex paterni consilii & voluntatis administratione, tum ex voluntaria Patris generatione. Qualem generationem in nobis quoque quodam videmus fieri modo. Verbum enim aliquod proferentes, verbum gignimus, non per reflectionem, ita ut, quod in nobis proferentibus est, imminuat verbum. Et quomodo in igne videmus alium fieri, non decrecente illo, unde facta est alterius accessio, sed in eodem statu permanente: quippe qui ex ipso incenditur, & ipse apparet, non imminuens illum, unde est successus.*

Secundum Justinum, Deus Pater virtutem quamdam, viventem, intelligentem, per se subsistentem, hoc est, personam quamdam genuit ex se, id est, ex propria substantia: quid enim aliud est, gignere ex se, quam de propria substantia gignere? Personam autem illam Deus Pater gignit ex se, absque ulla sui mutatione, vel imminutione, quia gignit illam ex se, non per resectionem substantiæ suæ, sed, quod superest, per substantiæ suæ transfusionem in illam, cui totam substantiam suam sic communicat, ut ex ea ipse nihil amittat.

Divinam hanc generationem, quæ sit absque resectione & imminutione generantis, illustrat duobus exemplis. Primum petit à duplici verbo nostro, mentali scilicet, cui Patris substantiam; & vocali, cui verbum notionale Patris, seu Filium comparat. In nobis, inquit, videmus fieri aliquo modo generationem, qualis est generatio divina, qua Pater generat Filium. Nam proferendo voces externas, verbum externum seu vocale, hoc est, externam & vocalem verbi mentalis & interni imaginem gignimus, non quidem propriè, sed impropriè; nam nequidem propriè producit verbum vocale, cum sit pura modificatio substantiæ subtilioris aeris, Externam autem illam & vocalem verbi mentalis imaginem quoquo modo gignimus de verbo mentali absque illius resectione & imminutione; ita ut post prolationem & emissionem verbi vocalis, totum adhuc & integrum in nobis remaneat verbum mentale: similiter Pater æternus, proferendo verbum suum notionale, generat notionalem verbi sui mentalis imaginem, & generat illam de verbo suo mentali, sine illius resectione & imminutione: ita ut prolato & emisso verbo notionali, totum & integrum verbum mentale Patris in Patre permaneat. Itaque cum ipsa Patris substantia sit verbum ejus mentale, secundum Justinum, Pater æternus proferendo & emittendo verbum suum notionale, notionalem substantiæ suæ imaginem generat de ipsa sua substantia, absque illius resectione & imminutione; quia scilicet generat, totam substantiam, quam totam retinet, communicando.

Secundum exemplum, quod aptius & plausibilis est, Justinus reperit à duobus ignibus, quorum unus ex alio accenditur. Juxta Justinum igitur, sicut ignis A, ignem B, sibi in natura & essentia per omnia similem, generat absque ulla sui diminutione; ignis enim A, post accensionem ignis B, ut videre est in duabus candelis accensis, quarum una ex altera accensa est, totus, quantus erat antea, apparet: ita Pater æternus virtutem illam viventem, intelligentem, & per se existentem, quam sibi per omnia in natura & essentia similem genuit, genuit ex se absque ulla sui diminutione, quia nimirum genuit illam ex se, totam illi substantiam suam communicando, & totam retinendo. Unde sicut duo ignes, quorum unus ex alio accenditur, sunt duo tota & integra, duo perfecta, duo planè similia & æqualia in tali specie substantiæ; ita Pater & Verbum sunt duo toti & integri, duo perfecti, duæ substantiæ singulares, per omnia similes, & inter se æquales in sua ratione, hoc est in ratione Dei. Nec aliter inter se differunt, quam quòd una sit ab altera genita: sicut duo præfati ignes, non aliter differunt inter se, quam quòd unus ex alio accensus est.

Virtus autem illa, vivens, intelligens, & per se existens, quam Pater generat ex se, in sacris litteris modò gloria Domini, modò Deus, Dominus, Filius, Verbum, Sapientia, modò Angelus juxta Justinum nominatur, quibus nominibus appellari habet partim ex paterni consilii & voluntatis administratione, partim ex voluntaria, seu ex minimè violenta Patris generatione. Nominatur Filius, quia per veram generationem procedit à Patre in perfectam similitudinem & identitatem naturæ; & propter eandem rationem nominatur Deus, Dominus, & Gloria Domini. Nam si procedit à Patre in perfectam similitudinem & identitatem naturæ, verus

Deus est; & si verus Deus est, verus Dominus est. Item si procedit in perfectam similitudinem, &c. gloria Patris est: quid enim Patri gloriosum magis esse potest, quam habere Filium sibi perfectè similem; & in omnibus essentialibus æqualem, proindeque talem, quali nihil melius esse, vel cogitari potest? Nominatur etiam vi generationis Verbum & sapientia, quia generatur de Patris substantia primario & per se, ut est scientia, & sapientia Patris. Nominatur denique Angelus propter paterni consilii & voluntatis administrationem: Angelus enim idem est ac nuncius. Nuncius autem dicitur, qui consilium & voluntatem exequitur illius, à quo mittitur. Cum autem Justinus dicit Filium in Scripturis nominari Angelum, seu nuncium, eumque paternorum consiliorum administrum facit, durius quidem loquitur; sed tamen ita notionalem aliquam Patrem inter & Filium inæqualitatem ponit, ut perfectam in natura & essentia æqualitatem unus cum altero minimè inficietur; ut pater ex dictis superius, & adhuc ostendi potest ex hoc eodem loco, quem hic interpretamur.

Ex verò Deus Pater vel ex nihilo, vel ex materia aut alio subiecto præexistente, vel ex portione substantiæ suæ, vel denique de tota substantia sua produxit Filium suum. Nihil horum, præter quartum, dici potest, in doctrina S. Justinus. Non primum; nam secundum S. Justinum, Deus Pater produxit Filium suum ante omnes creaturas, hoc est, ante ea omnia, quæ ex nihilo producta sunt. Præterea, si Deus Pater produxit Filium suum ex nihilo, non genuit illum ex se, quod est contra S. Justinum. Propter eandem rationem secundum dici non potest, Nam si Deus Pater produxit Filium suum ex materia aut subiecto alio prius à se producto, neque produxit illum ante omnes creaturas, neque genuit illum ex se, quod utrumque S. Justinus repugnat. Sed nec tertium dici potest, secundum S. Justinum; quia secundum illum, Deus Pater sine resectione substantiæ suæ, & absque ulla sui diminutione Filium suum produxit. Unum itaque superest in doctrina S. Justinus, ut Deus Pater dicatur genuisse de tota sua substantia Filium suum absque ulla sui diminutione. Ergo juxta S. Justinum, Filius unius & ejusdem est substantiæ cum Patre, adeoque cum illo perfectam in natura & essentia æqualitatem habet.

Porro sufficere nobis expositio fidei, quæ inter S. Justinus opera reperitur, & in qua Author apertè proficitur trium Personarum unam esse essentiam & divinitatem, adeoque tres Personas unum esse Deum: nam v. g. sic loquitur: *Unus ergo re vera est universitatis hujus Deus, qui in Patre & Filio & Spiritu Sancto cognoscitur. Cum namque ex substantia sua Pater Filium progenierit, atque ex eadem Spiritum produxerit; jure optimo, quæ unam eandemque participant essentiam, una eademque dignantur divinitate.* Sed an hic liber re vera sit Justinus, ambigit Bellarminus in libro de Scripturis Ecclesiasticis. 1. Quia veteres ejus non meminerunt. 2. Quia stylus videtur esse diversus à stylo Justinus. 3. Quia multò apertius & distinctius differit de Mysteriis Trinitatis & Incarnationis, quam Scriptores ejus sæculi facere soleant. Bellarmino suffragatur doctissimus Petavius; imò librum esse Justinus, expressè negat lib. 1. de Trinit. cap. 3. & sententiam suam solidis rationibus probat.

Om. 1. Justinus in apolog. 2. sic loquitur: *Eundem (Christum,) quòd ipsius veri & singularis Dei Filium esse edocti sumus, secundo loco, ac Spiritum propheticum tertio ordine, nos cum ratione venerari & colere demonstrabimus.... nos ratione & verbo persuasi, ab illis quidem (falsis Diis) descivimus, singularem vero, atque ingentem Deum per Filium ipsum sequimur.* His autem verbis duo dicit, quæ videntur adversari Verbi divinitati; & 1. quidem, Patrem, qui ingentis est, esse verum & singularem Deum. 2. Filium à Christianis secundo tantum loco coli & adorari.

R. 1. S. Iustinus Patrem vocat verum & singularem Deum, per oppositum, non ad Filium, & Spiritum sanctum, sed ad falsa numina, quæ colebant Ethnici: non quia putabat Filium & Spiritum sanctum non esse cum Patre unum verum Deum, sed quia sciebat Deos, quos colebant Gentiles, non esse deos, sed demones, aut reprobos homines. Quod ipse evidenter ostendit, cum ait, Gentiles ad fidem conversos, à demonibus descivisse, ut singularem atque ingentem Deum per Filium ipsum sequerentur.

2. S. Iustinus dicit, Christianos Spiritum sanctum tertio, Filium secundo, Patrem primo loco venerari & colere, non quod Spiritus sanctus Filius, & Filius Patre inferior sit deitate; sed quia Pater prima, Filius secunda, & Spiritus sanctus tertia sit persona sanctissimæ Trinitatis; vel, si vis, quia Pater à nullo, Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio est: unde Pater Filius, & Filius cum Patre Spiritu sancto prior est origine. Quod si Iustinus putavit Patrem Filio aliqua ratione majorem esse, non quia Deus est, sed præcisè quia Pater est, majorem esse putavit.

Obj. 2. In dialogo cum Tryphone sic ait: *Qua dico, persuadere quoque vobis annit, Scripturas scientibus; esse videlicet & dici Deum & Dominum alium, præter factorem omnium: qui & Angelus sive nuncius vocatur, eo quod annunciet mortalibus, quacumque annuntiari eis vult universitatis fabricator, supra quem alius Deus non est.* Quibus verbis Iustinus videtur asserere duos Deos, unum fabricatorem universitatis, maximum & supremum Deum, quippe qui non alium habeat supra se Deum; & alium minorem ac inferiorem Deum, qui Angelus & nuncius vocatur, quia hominibus annunciat, quacumque eis annuntiari vult maximus & supremus Deus, cuius ipse Filius est. Unde supremum illum Deum Iustinus vocat rerum universarum parentem, hoc est, Patrem ipsius minoris Dei, & aliarum omnium rerum, quas postea per eum condidit. R. hic quidem durius loqui Iustinum; sed nego illum duos Deos admittere, quotum unus altero minor sit & inferior.

At inquit, 1. Unum Deum supremum admittit. 2. Dicit hunc Deum esse factorem omnium, adeoque & ipsius Filii. 3. Filium asserit esse alium Deum & Dominum ab illo supremo Deo & Domino. 4. Hoc ipso, quod ait hunc Deum ac Dominum non habere alium supra se, manifestè significat alium ab eo Deum ac Dominum habere superiorem, ipsum scilicet qui alium supra se non habet. Ergo, &c.

R. ad 1. Iustinus unum Deum supremum & maximum admittit hoc sensu, quod sentiat unam personam divinam, nempe Patrem, esse Deum supremum & maximum, non ratione essentiae, quasi æqualem non habeat in essentia personam aliam, sed ratione inaccessibilitatis, quæ ipsi soli ex personis divinis competit. Secundum Iustinum, Pater est Deus supremus & maximus, etiam cum exclusione aliarum personarum divinarum, non quod distinctam & diversam habeat substantiam à substantia aliarum personarum, eaque præstantiorem; sed quod ipse sit improductus, & alia personæ sint ab eo productæ, adeoque alia personæ sint eo inferiores ratione originis, licet illi æquales sint in substantia; ipse verò ne quidem ratione originis alteri subsit. Unde fit, ut auctoritatem aliquam habeat in secundam personam, v.g. tamquam Pater in Filium, sibi licet in omnibus essentialibus perfectè æqualem; in ipsum verò nullus habeat auctoritatem, quia ipse Filius alterius non est, cum sit ingenuus. Hæc quidem dura sunt, nec tamen ea dicendo, Iustinus negat Filium cum Patre unum verum Deum esse.

R. ad 2. Iustinus hunc Deum supremum & maximum in sensu explicato, vocat fabricatorem universitatis, factorem omnium rerum conditarum, eo sensu quo in Symbolo Apostolico dicebat ipse cum cæteris fidelibus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terra, & quo nos etiam dicimus, non quia credimus solum Patrem cum exclusione*

aliarum personarum esse omnipotentem, & creatorem mundi; sed quia omnipotentiam, & mundi creationem tribus personis communem, Patri specialiter attribuimus; eò quod omnipotentiam illam & virtutem creandi mundum acceperint alia personæ, ipse verò à nemine acceperit.

Hanc fuisse mentem Iustini, manifestum est ex eo quod expressè asserit Filium esse virtutem Patris, & Patrem cuncta per Filium condidisse ac ornasse. Hinc etiam apparet Iustinum, cum Patrem nominat fabricatorem universitatis, factorem omnium, omnium rerum parentem, nolle comprehendere Filium, per quem universitatem fabricavit; omnia, quæ facta sunt, condidit; omnibus rebus, quæ in hac universitate existunt, dedisse esse, & datum conservare: nisi quis velit Iustinum putasse, Filium sui ipsius fabricatorem & conditorem fuisse. Quod est absurdissimum.

Ad 3. R. dist. sic. Iustinus asserit Filium esse alium Deum ac Dominum à supremo illo Deo Patre; to alium, cadente in formam per has voces; Deus & Dominus, significata, N. To alium, cadente in suppositum formæ illius, C. Vel sic, quod eodem redit. Iustinus asserit Filium esse alium Deum ac Dominum ratione essentiae, quasi Filius sit Deus ac Dominus per essentiam distinctam & diversam ab essentia supremi Dei Patris, N. Asserit Filium esse alium Deum ac Dominum ratione personalitatis & subsistentiæ, hoc est, præter personam Patris, qui supremus Deus est, esse aliam personam divinam, quæ Filius ejus est, adeoque Deus quoque ac Dominus, & quidem per unam & eandem illam essentiam, qua Pater ipse Deus ac Dominus est, C.

Ad 4. R. Iustinus significat Filium habere alium Deum supra se eo sensu, quo Patrem non habere alium supra se dicit cum exclusione aliarum personarum. Cum autem dicit exclusivè ad alias personas Patrem non habere alium supra se; non aliud intelligit, quam non esse aliam personam divinam, à qua Pater accipiat esse, & cuius proinde sit Filius, cuique subsit tamquam Filius Patri. Itaque cum significat Filium habere alium supra se, nempe supremum Deum, qui alium supra se non habet, intelligit Filium supra se habere alium Deum non alietatè, ut ita loquar, substantiæ, sed alietatè subsistentiæ, adeoque illum alium Deum, seu illam aliam personam divinam habere supra se non ratione essentiae, sed ratione proprietatis relativæ & originis, quatenus alia persona divina est, à qua accipit esse per generationem, cuius proinde Filius est, cuique aliquo modo tamquam Filius Patri subicitur.

Dices. S. Iustinus probat Filium non solum personalitate, sed etiam substantia distinctum & diversum esse à Patre. Ergo vult Filium non solum personalitate, sed etiam substantia minorem & inferiorem esse Patre. Ergo re vera duos admittit Deos, unum supremum & maximum, nempe Patrem, qui proinde solus verè & propriè Deus est, & alterum minorem & inferiorem, nempe Filium, non ejusdem cum Patre naturæ, sed diversæ & inferioris.

Prob. ant. Nam in dialogo cum Tryphone, dicit Filium esse Angelum seu nuncium Patris, esse Patris ministrum; non Patrem, sed Filium locutum esse cum Moysè. *Non Conditor*, inquit, *universitatis hujus Deus is fuerit, qui Moysa dixit, se Deum esse Abrahæ, & Deum esse Isaac, & Deum Jacobi; quippe factoris rerum omnium voluntati ministret, & in judicio Sodomorum, consilio & voluntati ejus itidem ministraverit. ... Scriptura Angelum Domini Moysæ apparuisse dicens, ac deinceps Dominum eum esse & Deum declarans, eundem, & illum ipsum, denotat quem & pluribus per ea, quæ dicta sunt, administrum esse Deo supermundano, supra quem alius non est, significat.*

Multò inferius sic adhuc loquitur: *Non debetis putare, ipsum ingentem Deum vel ascendisse, vel descendisse quopiam: nam ineffabilis ille Pater, & Dominus universitatis hujus, non venit in locum aliquem; neque*

que deambulat, neque dormit, neque surgit; sed in regione sua, quacumque ea tandem, sit manet, acutum cernens, & acutum audiens: non oculis certe quidem, nec auribus, verum virtute infinita ille inspicit, & omnia noscit neque, nostrum quisquam illum latet; neque mobilis est, neque loco ulla, atque adeo neque mundo universo comprehensibilis, ut qui ante existit, quam mundus est conditus. Quoniam igitur ille modo vel alloquatur aliquem, vel conspiciatur ulli, vel in minima terre parte appareat; quando ne ejus quidem, qui ab eo missus est, gloriam & majestatem populus in sinu intrare... valuit?

Tum paucis interjectis, sic concludit: Itaque neque Abraham, neque Isaac, neque Jacob, neque hominum alius quisquam Patrem & ineffabilem Dominum rerum omnino universarum, & ipsius Christi, vidit; sed illum ipsum qui juxta consilium ejus & voluntatem & Deus est Filius ipsius & Angelus, ex eo quod sententia illius est administrat. Certè si Pater Dominus est Filii, sicut & reliquorum omnium, quæ per ipsum condidit: item si Filius non est Deus nisi juxta consilium & voluntatem Patris, quia nimirum Pater non eum produxit nisi juxta consilium & voluntatem suam, vel non est Deus, vel Deus est inferioris ordinis.

R. ad inst. falsum esse, quod S. Justinus probet, aut probare intendat, Filium substantia distinctum & diversum esse à Patre. Ut enim ostendimus, expresse dicit, 1. Filium esse propriè Patris Filium. At non potest esse propriè Filius, nisi natura Patri similis sit per omnia; nec potest Patri natura similis esse per omnia, quin unam & eandem cum illo essentiam habeat. 2. Patrem genuisse ex se Filium absque ulla sui diminutione, quod est Patrem genuisse Filium de tota sua substantia: nam si genuit Filium ex se, seu de sua substantia, & genuit illum de sua substantia sine refectione, vel partitione substantiæ suæ, superest ut illum de tota sua substantia genuerit. At si Pater Filium de tota sua substantia genuit, necesse est unam & eandem numero esse Patris & Filii substantiam.

S. itaque Justinus in hoc suo dialogo cum Tryphone Judæo, non aliud intendit, quam ut contra Judæos unicam & singularem in Deo personam agnoscens, probet veram Christi divinitatem, probando in Deo præter personam Patris, qui ingenuitus est, proindeque supra se non habet alium, à quo divinitatem accipiat; aliam quoque esse personam, aliam virtutem viventem, intelligentem, per se subsistentem, quæ æquæ ac Pater, præpotens, & Dominus rerum omnium, & Deus sit, quamque Pater generavit ex se, absque ulla partitione, vel refectione substantiæ suæ, adeoque absque ulla sui diminutione.

Hanc autem virtutem, non esse creaturam, sed verum & genuinum Patris factum, satis expresse declarat, cum ait in dialogo: Verum hac ipsa à Patre edita progenies, ante creaturas omnes una cum Patre fuit, & cum ea Pater colloquitur, prout Verbum per Salomonem declaravit, primitus, sive principium, ante creaturas omnes hanc ipsam progeniem à Deo genitam esse, quæ sapientia à Salomone vocatur. Imò hunc verum ac genuinum Patris factum sic à Patre numero diversum esse, ut tamen unius cum illo sit essentia, dicit inferius, post verba in obj. citata. Virtutem istam, inquit, quam Deum sermo propheticus vocat... & Angelum... numero quiddam aliud esse ratione exquisita supra paucis explicui: virtutem hanc dicens de Patre genitam, virtute & consilio voluntateque ipsius; non per resectionem veluti ab essentia Patris dispersitam, prout alia omnia divisa, & secta, non eadem sunt, quæ ante fuerunt, quam scinderentur. Quæ sunt per divisionem alicujus substantiæ, non sunt eadem post divisionem, quod antè fuerunt: nam ante divisionem erant una substantia, & post divisionem sunt plures substantiæ. Pater atamen & Filius non sunt plures substantiæ, quia Filius non generatur à Patre per divisionem, sed

per portionem aliquam substantiæ divinæ ab ea deciam, sed per totius transfusionem & communicationem. Unde in Patre & Filio post generationem una & eadem est substantia divina. Hæc est Justinus mens.

Porro ut probet cum unitate & identitate substantiæ in Patre Filio numericam personarum distinctionem subsistere, multa profert, quæ dura sunt, & benigna interpretatione indigent. Non enim solum dicit illum esse verè Filium, verè genitum à Patre (quod sufficeret, cum idem numero non possit esse genitor & genitus, Pater & Filius respectu sui ipsius,) sed etiam esse angelum, nuncium, administrum Patris; ipsum etiam ante incarnationem è cælo descendisse, cum Pater numquam descenderet; Patrem esse Dominum illius, illique causam, ut sit. Duos propheti-cum verbum, inquit post verba proximè laudata, numero esse indicat: alterum in terris, quem descendisse significat ad clamorem Sodomorum inspicendum: alterum in cælis, qui etiam Dominus in terra apparentis Domini, tamquam Pater & Deus, atque idem author eidem ut sit, atque equidem præpotens & Dominus, & Deus ut sit.

Ad hæc autem R. Justinum non aliud intendere, quam in Deo non unam tantum personam, sed plures esse; quam præter personam illam, quæ non habet aliam supra se, quia ingenuita est, etiam aliam esse, quam aliquo modo habet infra se, quia illam ex se genuit, & sic habet illam infra se eo modo, quod pater infra se habere potest filium sibi natura, essentia, substantia parem; cujus proinde Dominus est, non ut creator creaturæ, aut herus famuli, aut princeps subditi, sed ut pater filii, in quem auctoritatem quandam non potest non habere, hoc ipso, quod illi causa est ut sit; hoc est, hoc ipso, quod illius principium est, quantumvis in cæteris omnibus inter se perfectè æquales sint, & illi det, ut sit præpotens, & Dominus rerum omnium, & verus Deus. Cum itaque propter quandam illam auctoritatem, quæ etiam in divinis cum paternitate connexa est, Filius aliquo pacto subit Patri, potest etiam esse nuncius & administrum Patris, non quidem ut creatura, puta homo vel Angelus, Creatoris, vel famulus heri, vel subditus Principis nuncius esse potest administrum, sed ut Filius Patris, sola principii notionalis prærogativa præcellens, vi cujus prærogativæ Patri aliquo pacto subesse intelligitur Filius, licet in absolutis & essentialibus omnibus perfectè æqualis.

Justinus igitur in hoc durè quidem loquitur, quod ait Patrem aliquid auctoritatis habere in Filium, & Filium aliquo pacto subesse Patri. Sed talis subjectio, quod nobis sufficit, non ponit in Filio diversitatem & inferioritatem naturæ; sed è contra cum supponat & exigit unum esse Filium, & alterum Patrem, supponit & exigit ambos unius & ejusdem esse naturæ; quia si hac unitate & identitate in natura, unus non esset verus Filius, nec alter verus Pater; adeoque unus alteri, tanquam verus Filius vero Patri, subesse non posset.

Quod dicit Justinus, Filium etiam ante incarnationem apparuisse in terris, non quidem sub propria, propriam enim non habet, sed sub aliena specie, & cum hominibus collocutum fuisse; dixere etiam veteres alii, & valere potest ad probandam personarum distinctionem, sine dispendio unitatis & identitatis in natura & essentia. Cum autem dicit Patrem voluntariè genuisse Filium, & consilio ac voluntate ejus Deum esse Filium ipsius, non aliud intelligere censendus est, quam quod Pater Filium non invitatus produxerit, aut ad id naturali quadam necessitate coactus, quali v.g. mulier abortum facit.

Denique quæ loco supra relato congerit de Patre, ut probet eum numquam in terris apparuisse, aut cum hominibus collocutum fuisse, esseque alium, qui Moyse dixit, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, nempe Filium ejus; graviorem habent difficultatem, & agrè benignam interpretationem admittunt. Sed cum non-naturalium diversitatem, sed

solam

solum personarum distinctionem probandam in se suscepit, dicendus est, hoc unum spectasse, ut ostenderet, Filium, non Patrem, sub aliena forma in terris apparuisse, & cum hominibus collocutum esse, nec Patri immobilitatem attribueret voluisse cum Filii exclusione, quasi putaret Filium loco finito comprehendere, & ita de loco in locum transire posse: sic enim Filium puram creaturam faceret, cum tamen expressè asserat illum esse verè Filium Dei, & genitum fuisse ante omnes creaturas, Sensit igitur illum de cælo descendisse, ut in terris appareret, & colloqueretur cum hominibus, non de loco in locum transendo, sed incipiendo aliquatenus novo modo esse in aliquo loco, & se in aliena forma videndum exhibendo.

§. II.

De Athenagora.

Athenagoras, ut scribit Bellarminus in lib. de Script. Eccl. Atheniensis philosophus Christianus, æqualis fuit S. Justino, & insignem pro Christianis apologiam scripsit, & Imperatoribus Marco Aurelio Antonino, & Aurelio Commodio obtulit. In ea sententiam suam de sanctissima Trinitate exponit. Queritur ergo quid in ea sentiat de divinitate Verbi?

RESPONSIO.

Athenagoras rectè sensit de Verbi divinitate.

Prob. Nam in apologia sua sic loquitur: *Satis jam mihi demonstratum est, non negare nos numen, qui unum illum ingentum, æternum, invisibilem, impassibilem... à quo facta sunt omnia per verbum ipsius, per quod & digesta sunt, & stabilimur, hunc, inquam, unum predicamus Deum. Quin & Dei Filium mente complectimur... Filius Dei est verbum Patris, in idea & efficacia. Ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia; cum Pater & Filius unum sint: ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio, per unionem & potentiam Spiritus, si quidem mens & verbum Dei, Filius Dei est. Jam si vobis... aliis rependum videtur, quidnam sibi velit hic Dei Filius; paucis dicam: Primigenia hic est Patris progenies, quæ non ut facta (à principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in se ipso λόγος habet, cum rationalis ipse æternus sit,) sed ut rerum cunctarum idea & perfectio foret, progressa est.*

Secundum Athenagoram, in Deo duo sunt, nempe Pater, & Filius, qui Verbum Patris est, à quo & per quem facta sunt omnia, quæ à Patre facta sunt; cum una sit notitia & virtus Patris & Filii, quia unum sunt natura & essentia. Unde Pater est in Filio, & vicissim Filius in Patre per immanentiam perfectissimam, propter unitatem & identitatem substantiæ: sicut enim in homine v.g. una & eadem est substantia hominis & mentis ejus; ita in Deo una & eadem est substantia Patris & Filii, quia Filius, vi originis suæ, est primò & per se mens & verbum essentielle Patris. Hic Filius est vera & genuina Patris progenies, non facta, seu de non extrinsecis producta, sed de substantia Patris genita, & quidem ab æterno: cum enim Deus Pater sit mens æterna, & æternum intellectivus, æternum intelligit, & æternum intelligendo, æternum generat λόγος, seu verbum suum, quod proinde ab æterno processit à Patre, cujus, vi processionis suæ, fuit primariò & per se rerum omnium ab eo in tempore condendarum idea & perfectio intentionalis, seu exemplaris.

Interius sic ait: *Uni Deo & Filio ejus, hoc est, verbo inseparabili, subiecta sunt omnia. Et inferius: Quantum igitur in me fuit, etsi non dignitate rei, nequaquam nos esse à Deo alienos, qui universitatis hujus opificem, simulque ejus verbum, seu verum Deum, veneramus, demonstratum est. Superius dixerat: Quippe ut Deum asserimus, & Filium ipsius verbum, & Spiritum sanctum, (tria quidem secundum potentiam, Patrem, Filium, & Spiritum, actu verò & essentia unum, Filius enim Patris mens, verbum & sapien-*

tia est,) & ab eodem (Spiritus, ut lumen ab igne profluit.)

Secundum Athenagoram, Verbum, seu Filius inseparabilis est à Patre, quia una est utriusque substantia. Et verò cum Filius sit primò & per se mens & verbum essentielle Patris, non magis ab eo separabilis est, quam mens & verbum internum hominis, cujus pura modificatio est, ab homine separari potest. Secundum eundem, omnia subiecta sunt Patri & Filio, quia Filius cum Patre rerum omnium Dominus unus est, sicut cum eo unus est Deus. Secundum eundem, Patrem & Filium seu verum Deum Christiani venerantur, quia cum una sit utriusque divinitas, Pater cum Filio unus verus Deus est. Denique secundum eundem, Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt unum, non consonantia tantum, sed essentia. Cum autem dicit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tria potentia, potentiam opponit, non subsistentiarum, sed essentiarum actuali distinctioni & diversitati; nec aliud vult, quam Patrem, Filium, & Spiritum sanctum perinde se habere in ordine ad actualement inter se distinctionem, ac si haberent tres naturas & essentias, inter se distinctas & diversas realiter. Quod est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres res per se existentes in actuali unitate & identitate naturæ & essentia.

Obi. Athenagoras sensit Verbum per totam æternitatem fuisse *anypostaton*, seu absque propria hypostasi, & tunc tantum per se existere cœpisse, proindeque Deum esse, cum ingentus Deus voluit mundum condere: tunc enim primum ab ingento Deo Verbum, ut esset idea & perfectio exemplaris rerum omnium, prodiiisse, atque genitum esse, docet Athenagoras. Ergo malè sensit de Verbi divinitate.

R. 1. Athenagoras sensit Verbum *anypostaton* esse, & per se subsistere. Nam sensit Verbum esse Filium Dei Patris. Non potest autem eadem hypostasis respectu sui ipsius esse simul Pater & Filius; quia non potest eadem hypostasis esse respectu sui ipsius genitor & genitus. Præterea, docet Patrem esse in Verbo, & Verbum in Patre. Quod nugatorium est, si Pater & Verbum non sunt duæ hypostases. 2. Sensit Verbum ab æterno extitisse. Nam docet Patrem, cum sit mens æterna, & æternum rationalis sit, ab æterno habere Verbum suum. 3. Sensit Verbum ab æterno extitisse per generationem; cum doceat solum Patrem ingentum, seu improductum existere. Totalis autem terminus generationis non potest esse nisi aliqua hypostasis. Sensit igitur Athenagoras Verbum ab æterno per se extitisse, & ita in Deo duas ab æterno hypostases esse, quarum una ingenita est, & genitor, & altera genita ab ea, quæ ingenita est; quarum una proinde Pater est, & altera Filius; & quæ sibi invicem immanent, quia una utriusque est natura & essentia.

At inquis. Athenagoras docet, Verbum tunc primum prodiiisse à Patre, cum voluit mundum condere. R. dist. Docet prodiiisse, tunc primum existens, N. Prodiiisse, cum jam antea & ab æterno existeret, cum jam Deus, utpotè mens æterna, ab æterno per generationem æternam illud possedisset, C. Unde sic adhuc dist. Athenagoras docet Verbum tum primum à Patre prodiiisse, cum Pater voluit mundum condere, tunc primum, inquam, prodiiisse interius, N. Exterius, C. Distingue duplicem progressum, seu prolationem Verbi à Patre, nempe prolationem internam & externam. Secundum Athenagoram, prolatio interna Verbi æterna est, externa verò temporanea. Pater ab æterno per æternam generationem, sibi immanentem, interius protulit Verbum suum, quod proinde ab æterno habuit in se, hoc est, sibi perfectissimè immanens per unitatem & identitatem essentia: Pater enim & Filius unum sunt: unde necesse est, ut Pater sit in Filio seu Verbo, & Filius seu Verbum, in Patre. Pater in tempore, seu in principio temporum, protulit exterius Verbum suum, per illud producendo creaturas; vel si vis, per illud imperando, ut creaturæ transirent de non esse ad esse. Hæc autem externa

terna

terna Verbi prolatio non nisi late & improprie à veteribus aliquando dicitur generatio Verbi.

§. III.

De Theophilo Antiocheno.

Theophilus Episcopus Antiochenus, ut scribit Bellarminus in lib. de Script. Eccl. sextus ab Apostolo Petro, vixit sub Marco Aurelio Imper. & sub filio ejus Commodus obiit. Scripsit multa eleganter, ut testatur Sanctus Hieronymus in Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo. Utrum de Verbo bene senserit, quaeritur.

RESPONSIO.

Sensit Verbum verum Deum esse.

Prob. ex lib. 4. Allegoriarum in Evangelium secundum Joannem, ubi sic loquitur: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Principium est Deus, Verbum Filius Dei Christus. De quo paterna vox dicit in Psalmo: Eructavit cor meum verbum bonum; id est, Christum, per quem omnia facta sunt... Et Deus erat de Deo natus... & homo erat per matrem. Et inferius: recitatis Christi verbis, Vado ad Patrem, quia Pater major me est, sic prosequitur: Cur igitur alibi ait Jesus, Ego & Pater unum sumus? Sciendum est quod Christus Dominus noster ita verus homo, & verus est Deus; de Patre Deo Deus; de matre homine homo; illic secundum hominem, hic secundum Deum locutus creditur; juxta quam rationem etiam in reliquis, quae aut aequalitatem cum Patre, aut humilitatem ejus humanitatis sonant, facile intellectus patebit.

Secundum Theophilum, Deus Pater eructavit de corde suo, hoc est de substantia sua genuit Verbum suum; unde Verbum est Filius Dei, & fuit semper in Deo qui omnium principium est, etiam ipsius Verbi, per quod creaturae omnes conditae sunt. Verbum autem Christus est, qui Deus est, de Deo Patre natus; & homo, natus de matre homine; atque sicut verus homo est, quia de matris hominis substantia genitus est; ita & verus Deus est, quia genitus est de substantia Dei Patris: quare & Patri aequalis est, & minor: minor secundum humilitatem humanitatis; aequalis vero secundum unitatem & identitatem substantiae.

Frustra nobis objiciuntur ex lib. 2. ad Autolyicum haec Theophili verba, Deus igitur habens suum sermonem in suis visceribus, genuit eum, cum eum produceret cum sua sapientia ante haec universa. Hoc sermone usus est in mundi creatione, & omnia, quae condidit, per ipsum fecit. Hic principium dicitur, quia omnium est principium, dominatorque omnium, quae per ipsum facta sunt. Et ista: Deus quidem universorum Pater loco nec includitur, neque in loco invenitur: non enim est locus, in quo ipse quiescat. Caterum sermo ejus, per quem omnia creavit, existens potentia & sapientia Patris, assumit personam Patris, & Domini universorum, is venit in paradisum sub persona Dei, & cum Adamo colloquebatur. Et ista: Intellige hoc loco enarrari sermonem perpetuo existentem, & instum in corde Patris Dei. Antequam enim quicquam eorum, quae facta sunt, fieret, hunc consiliarium habuit, ut qui mens & prudentia ejus foret. Cum vero jam condere, quae deliberaverat, instituisset, hunc sermonem genuit prolatum, primogenitum universae creaturae.

Haec etenim, quamvis magna ex parte duriora sint, & benigna interpretatione indigeant, haud aegre conciliantur cum catholico dogmate, & iis, quae pro Verbi per se subsistentis divinitate ex Theophilo relata sunt. Itaque Theophilus duplicem agnoscit Verbi productionem, prolationem, generationem, internam scilicet, & externam; internam quidem, quia Pater illud immanenter & intrinsicè produxit, protulit, generavit; externam vero, quia rebus creatis dedit esse per ipsum Verbum, per illud imperando ut essent: vel, si vis, Theophilus hic distinguit Verbi generationem & partum, & Patrem comparat, seculis imperfectioni-

bus, mulieri uterum gerenti. Juxta Theophilum igitur, sicut mater infantem à se conceptum & generatum & de substantia sua, verum & integrum hominem per se existentem, primum per certum tempus gestat in utero, deinde pariendo edit in lucem; ita Pater aeternus Verbum suum, quod absque concubitu, adeoque solus, solum conceperat & generaverat ab aeterno de tota sua substantia, & per totam aeternitatem verum & integrum Deum, ac per se existentem quasi gestaverat in utero, illud scilicet ut factum sibi perfectissimè immanentem aeternum generando, tandem aliquando quasi peperit, & in lucem edidit, per illud universa condendo.

Verbum igitur, juxta Theophilum, perpetuo existit in propria hypostasi, & perpetuo instum fuit in corde Patris, hoc est, Patri perpetuo immanit in propria hypostasi, tamquam verus & genuinus fetus illius, unam & eandem cum eo substantiam habens. Pater Verbum, cum adhuc haberet illud in visceribus suis, hoc est, antequam produceret illud exterius, consiliarium habuit, ut qui mens ejus & prudentia foret; id est, Pater cum Verbo omnia praordinavit, & praedestinavit communiter in aeternitate, quia una erat mens & sapientia Patris & Verbi; vel, si vis, quia Verbum erat mens & sapientia Patris, licet non tantum; erat enim & est substantia per se existens, cui Pater per generationem primario communicabat & communicat mentem & sapientiam suam.

Cum autem Pater cuncta, quae communiter cum Verbo ordinaverat & statuerat, exequi veller, tunc quasi peperit Verbum, non postmodum paulatim perficiendum, ut accidit in humanis partibus, sed perfectum ab aeterno Deum, illud exterius producendo; & illud exterius produxit, per illud omnia condendo. Per Verbum enim omnia facta sunt: unde omnium principium est, & dominator. Cum autem dicit Theophilus, Patrem in creatione mundi usum esse Verbo, & Verbum, inamoro Patre, venisse in paradisum, tamquam Patris legatum, comiter intelligi potest, & debet; nec aliud in re intelligit ipse, quam per Verbum facta esse omnia, & Verbum, non Patrem, collocutum esse cum Adamo: vel certe ad summum attribuit Patri notionalem quamdam excellentiam & auctoritatem in Verbum, quacum perfectam in omnibus essentialibus aequalitatem stare posse judicarunt veteres.

§. IV.

De S. Irenaeo.

S. Irenaeus, ut scribit Bellarm. in lib. de Script. Eccl. Episcopus, & Martyr, natione Graecus, & S. Polycarpi discipulus, Commodus Imperatore, & Eleuthero Pontifice, vixit, & tempore Severi Imperatoris martyrium consummavit. De eo quaeritur quid senserit de divinitate Verbi?

RESPONSIO.

S. Irenaeus catholice sensit de Verbo, & ejus divinitate.

Prob. Sic enim loquitur lib. 3. contra haereses c. 6. Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli, eum, qui non esset Deus, definitivè & absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus: neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium Deum Patrem, & Filium ejus, qui dominum accipit à Patre suo omnis conditionis, quemadmodum habet illud: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, &c. Patrem enim Filio collocutum ostendit; qui & dedit ei hereditatem gentium, & subiecit ei omnes inimicos. Verè igitur cum Pater sit Dominus, & Filius verè sit Dominus, merito Spiritus sanctus Domini appellatione significavit eos... Similiter illud ait Scriptura: Sedes tua Deus in aeternum, virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus. Utroque enim Dei appellatione significavit Spiritus, & eum, qui ungitur Filium.

lium, & eum, qui ungit, id est, Patrem. Et iterum: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit: de Patre & Filio; & de his, qui adoptionem perceperunt, dicit: Hi autem sunt Ecclesia: hac enim est Synagoga Dei, quam Deus, hoc est, Filius per semetipsum collegit: de quo iterum dicit: Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram. Quis Deus? de quo dicit, Deus manifeste venit, Deus noster, & non silebit: hoc est, Filius, qui secundum manifestationem hominibus advenit. . . Nemo igitur alius, quemadmodum prædixi, Deus nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus & Dominus, qui & Moysi dixit: Ego sum, qui sum; & huius Filius Jesus Christus Dominus noster.

Sic itaque argumentatur S. Irenæus. Spiritus sanctus numquam definitivè & absolutè Deum aut Dominum appellasset eum, qui non esset verus Deus, aut verus Dominus. Atqui Spiritus sanctus in Scriptura non solum Patrem, sed etiam Filium definitivè & absolutè nominat Deum & Dominum. Ergo uterque verus Deus est, & verus Dominus. Sensit igitur Irenæus, Filium seu Verbum, verum Deum esse, sicut & verum Dominum. Sensit igitur Irenæus Filium seu Verbum, cum Patre unum verum Deum esse; ut enim ait ibidem, unicus est verus Deus, super quem alius Deus non est.

S. Irenæi mens ampliùs declarari potest ex lib. 4. c. 8. ubi Filium Patri manifestè facit æqualem in omnibus saltem essentialibus & absolutis. Bene, inquit, qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum. Mensura enim Patris Filius, quoniam & capit eum. Secundum Irenæum, Patris quantumvis immensi Filius mensura est. Mensura autem adequatur mensuratio; alioqui simul erit & non erit mensura. Ergo, &c. Et verò, secundum Irenæum, Pater, quamvis immensus, quia mensuram finitam habere non potest, mensuratur à Filio, quia Filius capit eum, adeoque ipse quoque immensus est. Immensum autem immenso æquale est. Ergo, secundum Irenæum, Filius æqualis est Patri.

Obj. S. Irenæus lib. 4. c. 17. sic loquitur: Ministrat ei ad omnia sua progenies, & figuratio sua, & Spiritus sanctus, verbum & sapientia, quibus serviunt & subiecti sunt omnes Angeli. Et lib. 3. c. 8. in Scripturæ verba, Quoniam ipse præcepit, & creata sunt, ipse dixit, & facta sunt, sic ait: Cui ergo præcepit? Verbo scilicet, per quod, inquit, cæli firmati sunt. Et lib. 2. cap. 49. hæc habet: Si quis exquirat causam, propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire & horam & diem (extremi iudicii) à Domino manifestatus est; neque aptabiliter magis, neque decentior, nec sine periculo alteram quam hanc inveniat in presenti, quoniam cum solus verax magister est Dominus, ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem: etenim Pater, ait, maior me est.

R. ad 1. secundum Irenæum, Filium in productione mundi non ministrasse Patri, ut famulum hero, vel servum Domino, vel creaturam Creatori, sed ut Filium Patri, quocum unus verus Deus & Dominus est, cui tamen, quia Filius ejus est, aliquo subest modo, qui perfectam in natura & essentia æqualitatem non excludit.

R. ad 2. secundum Irenæum, Patrem præcipere Verbo suo, non ut Dominum servo, aut herum famulo, aut Creatorem creaturæ, sed ut patrem filio, sibi in omnibus essentialibus æquali, sive, quod idem est, sibi in natura, substantia, maiestate, gloria, deitate pari, & cui proinde sola notionali prærogativa paternitatis excellit.

Ad 3. respondetur, communiter Irenæum loqui de Verbo, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem assumptam. Responderi potest, sensum Irenæi esse, quod Christus dixerit, soli Patri notum esse diem iudicii, non quod re ipsa diem illum ignoret Filius; Pater enim Filio communicat in omnibus; sed ut cum exaggeratione quadam loquens, doceret nos, super omnia esse Patrem; adeoque mirum non esse, quod homines multa, quæ ad Patrem attinent,

investigare non possint, nec absque periculo secreta divina curiosius indagare queant.

§. V.

De S. Clemente Alexandrino.

S. Clemens, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, vir doctissimus, Pantæni discipulus, magister Origenis, vixit sub Severo Imperatore, & Catechumenorum institutioni præfuit. De eo quæritur, quid senserit de divinitate Verbi.

Bellarmin. lib. de Sc. t. Eccl. 1.

Euseb. lib. 6. hist.

RESPONSIO.

Sensit Verbum esse verum Deum, Patri deitate parem.

Prob. ex admonitione ad Græcos, ubi de Verbo sic loquitur: Qui re vera est Deus manifestissimus, qui est universonum Domino exequatus, quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo. Juxta Clementem, Verbum re vera est Deus, non inferioris ordinis, sed Deo Patri universonum Domino deitate æqualis, quia verus & genuinus fœtus illius est, adeoque unius & ejusdem cum illo essentia: unde Patri immanet, sicut & Pater ipsi. Post Libri initium jam dixerat: Hic ergo Verbum Christus, & ut nos olim essemus, erat enim Deo, & ut bene essemus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus & homo. Quibus verbis apertè dicit, Verbum incarnatum tam verè & propriè Deum esse, quam verè & propriè homo est; cum eodem tenore dicat eum esse Deum & hominem. In Comment. epist. 1. Joan. hæc habet: Cum dicit, Quod erat ab initio, generationem tangit sine principio Filii cum Patre simul extantis: erat ergo est, non verbum eternitatis significativum habentis initium, sicut etiam Verbum ipsum, hoc est, Filius Dei secundum equalitatem substantia unum cum Patre consistit, sempiternum est & infectum.

Præterea, sic dicit lib. 1. Pædagogi c. 8. Nihil ergo odio habet Deus. Sed neque Verbum: utrumque enim unum est, nempe Deus. Dixit enim, In principio erat Verbum, & Verbum erat in Deo, & Deus erat Verbum. Et in fine lib. 3. Laudemus unum Patrem, & Filium... unā cum sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est, quod semper est, ejus membra omnes, ejus sunt: gloria & secula, qui est undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque iustus; cui gloria nunc & in secula seculorum. Nihil expressius dici potuit. Juxta Clementem, Pater, Filius, & Spiritus sanctus unus est Deus, qui unus est omnia, in quo omnia, &c. ejus sunt gloria & secula, qui est undequaque bonus, undequaque pulcher, &c. Juxta Clementem igitur, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, maiestate, gloria, bonitate, justitia, pulchritudine, potentia & sapientia, adeoque deitate unum sunt. Juxta Clementem igitur, sicut Pater verus Deus est, ita & Filius, & Spiritus sanctus.

Obj. Clemens lib. 7. Stromatum apertè significat naturam Filii distinctam & diversam esse à natura Patris, adeoque Filium creaturam esse. Perfectissima autem, inquit, & sanctissima, & maxime principalis, & que maxime imperat, & est maxime regia, & longe beneficentissima, est natura Filii, que est soli omnipotenti propinquissima. Unde inferius de eodem Filio loquitur, tamquam de creatura Deo Creatori subiecta: Neque ab alio prohibitus umquam fuerit, qui est omnium Dominus, & maxime boni & omnipotentis Patris voluntati serviens.

R. neg. obj. Ad 1. locum dico, Clementem ibi sumere naturam pro persona, nec aliud dicere, quam personam Filii cum persona Patris, à qua distinguitur, conjunctissimam esse, eique propinquissimam. Quod verè & propriè dici potuit; cum una sit utriusque persone essentia seu substantia. Bonitas responsionis ostenditur, 1. Ex eo quod ibidem Clemens Filio attribuit ea, quæ soli vero Deo convenire possunt. Sic enim prolequitur: Hec est maxima excellentia, que omnia ordinat.

ordinat ex voluntate Patris, & optimè gubernat universum, indefessa & inexhausta potestate cuncta operans, propterea quod agit arcanas & abditas respiciens notiones. Numquam enim à sua specula excedit Dei Filius, ut qui non dividatur, non disseceatur, non transeat à loco ad locum, sit autem semper ubique, & contineatur nusquam; tota mens, tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, scit omnia, &c.

Confirm. 2. ex eo quod etiam quarto sæculo, post exortam Pelagianam hæresim, *quæ*, seu natura, pro persona seu substantia usurpata fuerit à Scripturibus orthodoxis, ut ab Alexandro Alexandria Episcopo in sua ad Alexandrum Constantinopolitanum epistola. Cujusmodi est, inquit, Ego & Pater unum sumus: quod Dominus ait, non ut Patrem se esse pronunciarer, neque ut duas hypostasi naturas unum esse declararet. Et paulò post: Interque unigenita interveniens natura, per quam universa de nihilo fecit Pater Dei verbi, quæ ex ipso existente generata est. Et à Gregorio Nazianzeno, carm. 2. arcan. ubi loquens de Filio, dicit, quod sit natura genitori equalis. Hos non semel imitatus est Cyrillus Alexandrinus, cujus celebris, & tantoperè agitata, legitur in ejus epistola ad Successum hæc de Christo Domino sententia, unam esse Dei verbi incarnatam naturam.

Ad 2. locum dico, Clementem, dum ait Filium esse omnium Dominum, illum asserere verum Deum; eum de solo vero Deo verè dici possit illum esse omnium Dominum. Dum ait Filium servire pronuntiat Patris, non attribuit illi nisi servitutem impropriad, qualem veteres Orthodoxi magno consensu putarunt Filium, licet verum Deum, habere posse ad Patrem sola notionali ingeniti & genitori prærogativa superiorem.

§. VI.

De Origene.

Origenes Adamantius, Clementis Alexandrini discipulus fuit, & vixit usque ad tempora Imperatorum Galli & Volusiani. Singulati licet doctrina & eruditione præditus, multorum errorum insinuat, in quos ex Philosophia Platonica deceptus incidisse dicitur. Quæritur hic, utrum etiam enarraverit circa Verbi divinitatem?

RESPONSIO.

Origenes malè sensit & scripsit de divinitate Verbi.

Prob. 1. autoritate veterum Scripturum. Nam 1. S. Hieronymus in sua ad Avitum epistola, in qua, ad eum librorum Origene de principiis translationem à se fideliter concinptam mitem, monet Origene docuisse, Christum Filium Dei, non natum esse, sed factum: Deum Patrem, per naturam invisibilem, à Filio non videri: Filium, qui sit imago invisibilis Patris, comparatum Patri non esse veritatem; apud nos autem, qui Dei omnipotentis non possumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri; ut majestas ac magnitudo majoris, quodammodo circumscripta, sentiat in Filio: Deum Patrem esse lumen incomprehensibile, Christum collatione Patris, esse splendorem perpetuum; qui apud nos pro imbecillitate nostra magnus esse videatur: ex duabus statuis, quarum una major sit, quæ mundum impleat, & magnitudine sua quodammodo invisibilis sit; alia verò parvula, quæ sub oculis cadat; priori Patrem, posteriori Filium similem esse: Deum Patrem omnipotentem esse, bonum, & perfectæ bonitatis; Filium non esse bonum, sed auram quendam & imaginem bonitatis; ut non dicatur absolutè bonus, & cum addigamento Pastor bonus, Majorem Patris fortitudinem esse, quam Filii & Spiritus sancti: & rursus majorem Filii fortitudinem, quam Spiritus sancti; & consequenter ipsius sancti Spiritus majorem esse virtutem ceteris, quæ sancta dicuntur.

Teste igitur locupletissimo S. Hieronymo, in libris *de ap. xpo*, docuit Origene Verbum non esse nisi im-

propriè Filium Dei, utpotè non de substantia Dei, sed de non extantibus productum, adeoque puram esse creaturam, in omnibus Deo Patre partibus infinitis minorem. Plures distinxit ordines, & in supremo Deum Patrem, utpotè solum insectum & increatum, ac proinde solum verum Deum: in secundo Verbum solum, ut creaturarum omnium excellentissimam, quæ Filius Dei dicitur, propter specialissimam quamdam divinitatis participationem: in tertio Spiritum sanctum, propter excellentem sanctitatis prærogativam, quæ ceteris, quæ sancta dicuntur, longè eminet: in quarto creaturas alias intelligentia præditas, &c. Hæ autem blasphemæ non leguntur nunc in libris Principiorum, quales nunc extant, quia excidit translatio Hieronymi, & sola superest editio Rufini interpolatoris, qui, ut ipse in Libri primi præfatione testatur, quæ in libris Origene reperit in Trinitatis mysterio perperam scripta, correxit, aut prætermisit. Dum autem ait, à se correctæ, vel prætermittæ, ut aliena à doctrina Origene, & ab hæreticis inserta, audiendus non est; incunctanter enim anteponendus est Hieronymus Rufino, mediocris auctoritatis viro.

2. S. Epiphanius hæc. 64. sic loquitur de Origene: Eo temeritatis progressus est, ut asserat unigenitum Filium Patrem videre non posse, neque Spiritum Filium, neque Angelos Spiritum, neque homines Angelos. Atque hic primus illius lapsus fuit. Ita enim ex Patris substantia Filium esse censet, ut nihilominus creatus fuerit. Quem quidem sola id gratia consecutum existimat, ut Filius diceretur. Et in epist. ad Joannem Hierosolymitanum: Quis Catholicorum possit equo animo sustinere, ut audiant Origene doctrinam atque consilium, & credant præclare illius prædicationi: Non potest Filius videre Patrem, neque Spiritus sanctus videre Filium? Hæc in libris *de ap. xpo* scribuntur. Certè si Filius Patrem videre non potest, verus Deus non est, nec Patri æqualis; sed intelligentia, ac proinde & in ceteris omnibus inferior. Unde jure merito in eadem epist. Epiphanius Origene vocat *Arii Patrem*.

3. S. Augustinus lib. de hæc. cap. 48. sic ait: Defensores ejus dicunt Origene, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius ejusdemque substantie docuisse... sed qui ejus plura legerunt, contradicunt. Dicit præterea ipse Origene, quod Filius Dei, sanctis hominibus comparatus, veritas sit; Patri collatus, mendacium: & quantum distat Apostoli Christo, tantum Filius Patri. Unde nec orandus est Filius cum Patre, quia non est author indulgentiarum petitionum, sed supplicator.

4. Justinianus Imperator in sua ad Mennam epistola, de Origene scribit, quod ante omnia in ipsam sanctam & consubstantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere: Patrem majorem esse Filio, Filium sancto Spiritu, Spiritum sanctum aliis spiritibus. Hoc ad suam impietatem addidit, ut diceret nec posse Filium Patrem videre, nec Spiritum sanctum Filium: ipsum Filium, & Spiritum sanctum creaturas esse; quodque nos sumus ad Filium, Filium esse ad Patrem. Hæc autem blasphemias ab Origene prolatas esse probat Justinianus, ex multis locis, ex libris principiorum depromptis.

Prob. 2. ex textibus Origene. Sic enim loquitur, 1. Tom. 1. in Joan. Dicendum est, Deum cum animam sapientiam creasset, illius cura permisisse, ut... formas præberet entibus & materie. Quibus verbis videtur Filium asserere puram creaturam, quæ velut instrumentum uti voluit Pater in aliarum creaturarum productione. 2. Tom. 2. Ut Pater *αὐτὸς* (hoc est, per se Deus, & verus Deus) se habet ad imaginem & imagines imaginis; sic hunc in modum se habet ipse λόγος, hoc est, ipsa ratio, ad eam, quæ est in singulis, rationem. Juxta Origene igitur, Verbum, quod est ipsa ratio per se subsistens, diversam habet substantiam à substantia Patris, sicut diversam habet substantiam à substantia aliarum creaturarum, ratione præditarum: nam juxta Origene, Verbum se habet ad alias creaturas ratione præditas, sicut Pater se ha-

Rel. rna. lib.
des rpa. k.
cl.

se habet ad ipsum, & ad alias creaturas, ratione prædita: unde, juxta eundem, vel Verbum substantia diverſum est à Patre, vel Pater ipse substantia diverſus non est à creaturis: ratione præditis, quod est absurdum.

3. Eod. tom. 2. in Joan. *Deum igitur alii quidem Deum univſorum habent; qui vero hos proxime ſequuntur, in Christum Dei ipsius Filium defixi sunt. Tertiis vero sunt, qui Solem, Lunam, omneque Cæli ornamentum habentes, à Deo aberrant.* Quibus verbis Origenes Christi adoratores tamquam in medio loco collocat inter eos, qui Patrem univſorum Deum colunt, & eos, qui ut numina venerantur Solem, Lunam, & Stellæ. Secundum Origenem igitur, Christus Filius Dei non est in eodem ordine cum Patre, sed in inferiore; non est unius & ejusdem dignitatis & majestatis, sed inferioris. Secundum Origenem, solus Pater univſorum Deus est, & solus est in supremo ordine. Unde secundum Origenem, vel Christus Filius Dei non est Deus propriè, sed improprie tantum Deus, vel inferioris ordinis, Deus per excellentiam quamdam verè divinitatis participationem.

3. Tom. 15. in Matth. *Proportionem quandam affinem, magis propinquam inter bonitatem Dei respectu Filii, qui bonitatis ipsius imago est, observare licet, quam servatoris respectu hominis boni, vel boni operis, vel arboris bonæ: plus etenim inferioribus bonis servator præstat, quatenus imago est bonitatis Dei ipsius, quam Deus, qui bonus est, servatori, qui dixit: Pater, qui misit me, major me est.* Hoc loco Origenes distinguit triplicem bonitatem, unam supremam, alteram intermediam, tertiam infimam: supremam Deo Patri; intermediam servatori, quatenus est imago Dei Patris, adeoque non quatenus homo est, sed quatenus est Filius Dei; tertiam denique rebus aliis creatis attribuit, cum hac tantum prærogativa Filii, quod minus distet à bonitate Patris, quam ab ejus bonitate distant res aliæ creatæ.

Detrahit igitur Origenes supremam bonitatem Filio. At qui detrahit Filio supremam bonitatem, detrahit ei veram divinitatem: vera enim divinitas est supremæ bonitatis, & vicissim. Secundum Origenem, non una & eadem est bonitas Patri & Filii, sed alia est bonitas Patris, & alia Filii; sicut alia est bonitas Filii, & alia cæterarum creaturarum, cum hoc tantum discrimine, quod bonitas Filii bonitati cæterarum creaturarum magis excellat, quam bonitas Patris bonitati Filii. Igitur secundum Origenem, non una & eadem est substantia Patris & Filii, sed distinctas & diversas habent substantias, & diversi ordinis: quorum enim distincta, & diversa, ac diversi ordinis bonitas est, eorum distinctam quoque, & diversam, ac diversi ordinis bonitatem esse necesse est.

5. Tom. 2. in Joan. *Si omnia per sermonem facta fuerunt, non à sermone facta fuerunt, sed ab eo, qui ipso sermone major est: quem quis alium dixerit quam Patrem ipsum?* Quibus verbis Origenes manifestè distinguit creationis mundi causam duplicem: unam principalem, nempe Patrem, & alteram purè instrumentalem, nempe Verbum. Ergo secundum Origenem, Pater & Verbum non sunt in eodem ordine: nam causa principalis superioris ordinis est; instrumentalis verò inferioris. Secundum Origenem, diversa est substantia Patri à substantia Filii: nam causæ principalis substantia diversa est à substantia causæ instrumentalis. Secundum Origenem, Pater Filio major est virtute: virtus enim causæ principalis virtute causæ instrumentalis præstantior est: adeoque secundum eundem, Pater Filio major est, non solum origine, sed etiam deitate: nam si major est virtute, deitate quoque majorem esse necesse est. Denique secundum Origenem, Filius dependet à Patre dependentia propriè dicta, & causalitatis: talem enim dependentiam habet causa instrumentalis à principali. Ex quibus omnibus clarum est Origenem Verbum ad creaturarum conditionem relegasse.

Obj. 1. Origenes pluribus locis aperte proficitur veritatem Catholicam circa SS. Trinitatem, ut ho-

mil. 12. in Numeros lib. 4. in epist. ad Rom. lib. 5. lib. 8. in cand. epist. lib. 1. Principiorum c. 2. & lib. 4. in Anacephalæosi. In iis enim locis aperte conſtitetur, Patrem & Filium unum ac idem esse in natura & substantia. R. loca illa omnia à Rufino, vel alio Interprete interpolata fuisse; & Rufino, aut alterius, non Origenis mentem & doctrinam exprimere.

Obj. 2. Origenes l. 6. contra Celsum, negat Filium factum esse. *Non enim eum, inquit, qui factus non est, & natura omnis factæ primogenitum scire quis potest, sicut ille, qui ipsum genuit, Pater?* Lib. 3. asserit Jesum esse Filium Dei, & Deum, quia ipsum Dei Verbum est. *Sciant, inquit, isti criminatores, hunc Jesum quem ab initio Deum, Deique Filium esse credimus, ipsum esse Verbum, ipsam veritatem, ipsam sapientiam.* Lib. 4. asserit Verbum esse immutabile. *Disſecat (Celsus) Verbum manere Verbum sua substantia, nec pati eorum quicquam, quæ corpus & anima patitur.* Ibidem ait, ex eo quod Christus passus sit, colligi non posse, quod passus sit Deus, quem colunt Christiani. *Responderi potest, inquit, distinguendo Verbi divini naturam, quæ Deus est, & Jesu animam.* Lib. 5. dicit Christianos adorare Dei, & Filii ejus unigeniti inenarrabili præstantia præcellentem divinitatem, quæ cætera omnia longè post se relinquit. Lib. 6. ait à Verbo, quia Deus est, Deum comprehendendi posse. Nam Cello asserenti Deum ratione comprehendendi non posse, sic respondet: *Distinguo significatum, si intelligatur de ratione, quæ vel inserta est nobis, vel è nobis se exierit, hac non esse Deum comprehensibilem. Sin de illa, quæ erat apud Deum, & ipsa erat Deus, damus hac Deum esse comprehensibilem.*

Præterea, S. Athanasius lib. de decretis Synodi Nicænæ, duo refert Origenis loca, in quibus Origenes asserit & probat Verbum ab æterno extitisse, & Patri synaidion esse. Adde Origenem in præfatione ad tractatus in Evangelium Joannis, dicere, *Verbum cum Patre univſorum Deum esse.* Et hom. 6. in Exodum sic loqui: *Nullus ergo in Diis similis Domino; nullus enim invisibilis, nullus incorporeus, nullus immutabilis, nullus sine initio, & sine fine, nullus creator omnium, nisi Pater cum Filio & Spiritu sancto.*

R. 1. Ea, quæ referuntur ex libris contra Celsum, saltem magna ex parte non carent suspitione. Origenes enim lib. 6. dicere potuit Filium genitum, non factum, eo sensu quo postea dixit prædicator ejus & admirator Eusebius Cæsariensis, & cum Eusebio Ariani dixere. Dum Origenes lib. 3. Jesum, quia Verbum est, Filium Dei, & Deum esse asserit, quæritur quo sensu asserat: Eusebius enim, Origeni addictissimus, & cum Eusebio Ariani, qui Origenem, velut ducem, gloriabantur, Jesum asseruere Filium Dei, & Deum, sed Deum inferioris ordinis, & Dei Filium latè & improprie. Quare eod. lib. Origenes non dicit, *Respondetur*, sed *Responderi potest distinguendo Verbi naturam, quæ Deus est, & Jesu animam?* Quid sibi vult illud, *Damus hac* (nempe rationem, quæ erat in principio, & erat apud Deum, & ipsa erat Deus) *Deum esse comprehensibilem?* An non illud, *damus*, idem est ac, *permittimus?*

Suspicionem augeat quod ait Origenes lib. *Proxi-mum*, scilicet, *mundi molitorem esse Filium Dei Verbum, qui velut suapte manu mundum fabricavit: Patrem verò Verbi, eo ipso, quod Filio suo atque Verbo jussit mundum facere, esse primum opificem.* Ecce aperte videtur Origenes duos mundi opifices distinguere, unum primum, qui imperavit, & est primarius; alterum verò, qui imperantis mandata executus est, & est secundarius mundi opifex. Quæ diversas non solum substantias, sed etiam essentias important. Eod. lib. sic adhuc loquitur Origenes: *Itaque religiose colimus Patrem veritatis, & veritatem Filium, duos quidem substantia, unum verò concordia, consensu, voluntatisque identitate.* Vertunt aliqui, *duos substantia*, ajuntque Origenem, hic nomen *hypostasis* iungere, non pro *persona*, sed pro *persona*. Sed

de hoc meritò ambigitur, præsertim cum prioribus illis Ecclesiæ sæculis, aut semper, aut ferè semper, nomen *hypostasis* pro *usia* seu substantia à Scriptoribus Ecclesiasticis usurparetur. Præterea, lib. 5. dicit Origenes singulas nationes, Architectis Babylonicæ turris in varia loca dispersis, attributas esse præsidibus suis Angelis, seu principibus, inter quos præstantiorem & valentiorum ceteris unum esse ait, cui commissum est genus Hebræorum, & quem fuisse Jesum contendit. Ecce Origenes manifestè non tribuit Verbo nisi supremum inter creaturas intellectuales locum.

R. 2. Origenes, ut probat imprimis Athanasii testimonium, aliqua interdum rectè scripsit de Verbo, eique attribuit ea, quæ non nisi in verum Deum cadere possunt. Tanta fuit apud hominem, quem Platonis doctrina infecerat, autoritas & vis traditionis Ecclesiasticæ, ejus proinde etiam illum, quantumvis ei aliunde contradixerit, testem habemus! Quod autem hic dicimus, Origenem circa Verbi divinitatem pugnantia scripsisse, mirum videri non debet; cum illud idem circa divinitatem Spiritus sancti ipsum fecisse, expressè affirmet S. Basilus lib. de Spiritu sancto cap. 29. *Jam verò, inquit, & Origenem, multis in locis expositionum, quas in Psalmos edidit, deprehendimus cum sancto Spiritu gloriam deferentem Deo, virum, qui non omnino sanas habet de Spiritu opinioniones; nihilominus hic reveritus consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu. Ad hunc modum, opinor, traditionis vis sæpe compulit homines suis ipsorum dogmatibus contradicere.* Sicut ergo vis traditionis compulit Origenem, ad contradicendum suis dogmatibus, quoties pias voces emisit de Spiritu sancto, ita & quoties pias voces emisit de Verbo Dei Filio, ad contradicendum suis dogmatibus, compulit eum vis traditionis.

Porro quæ contra SS. Trinitatem, & personarum divinarum in natura & essentia unitatem, & identitatem, & æqualitatem, perperam apud Origenem repertiuntur scripta, ab hæreticis inserta fuisse affirmat Rufinus: sed Rufino contradicit oculatio & fide dignior Hieronymus. Contradicit S. Epiphanius, S. Augustinus, Theophilus Alexandrinus, qui in prima Paschali epistola, hanc refert Origenis blasphemiam: *Sicut Pater & Filius unum sunt; ita & anima, quam assumpsit Filius Dei, & ipse Filius Dei unum sunt; & Synodi quintæ Patres, qui varios Origenis errores, præsertim eos, qui spectant SS. Trinitatem, & quidem ut errores ipsiusmet Origenis, non ut ab aliis insertos notarunt, & condemnarunt.* Valet etiam contra Origenem S. Athanasius, qui Arianis, Origenem suum esse gloriantibus, solum opponit duo loca, quibus Origenes Verbi æternitatem asserit, & prædamnat illud Arii & Arianorum dictum, *Erat quando non erat*; nec queritur Athanasius ab hæreticis corruptos fuisse libros Origenis; sed è contra conatur illum exculare, cum ait: *Quæ disputandi certandique gratia scripsit, ea non quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita sentiat, sed eorum, qui cum eo contentiosius disputarunt, accipienda sunt.* Hæc igitur laboriosi illius Origenis sententia est: post illa ergo, quæ certandi gratia quasi in palestra adversus hæreticos adduxerat, statim ista, quæ propria ipsius sunt, subintulit: *Si est, inquit, ulla imago, &c.*

Ex his S. Athanasii verbis manifestè colligitur, aliqua Origenem de SS. Trinitate scripsisse, quæ reprehensione digna essent, & ecclesiasticæ Traditioni minime consonarent; quæ, quia Origenes disputandi certandique gratia scripserat, non quasi ipsius essent verba, aut quasi ipse ita sentiret, sed eorum, qui contra eum contentiosius disputarant, accipienda esse, contendit S. Athanasius; qui Origenem, ex eo quòd Verbum ab æterno extitisse docuerit, idem de Verbi divinitate, quod postea definierunt Patres Nicæni, sensit, non satis aptè conclusèque colligit: nam Origenes potuit Verbum æternum asserere, & nihilominus illud creaturam credere; cum crediderit mundos innumerabiles æternis sibi suc-

lis succedentes, ut testatur S. Hieronymus lib. 2. Apolog. contra Rufinum c. 3.

De S. Gregorio Neocæsariensi, Origenis discipulo, qui ob insigne donum miraculorum, Taumaturgus cognominatus est, & duobus Dionysiis, Romano scilicet & Alexandrino, consule disputationem 1. ubi sanctorum illorum Patrum autoritate Ecclesiasticam traditionem de numero Personarum divinarum in unitate essentiae probavimus. Unum hic addam, S. Basilium epist. 64. scribere Gregorium Neocæsariensem aliquando Filium creaturam & opus dixisse, & in expositione fidei adversus Alianum, quæ non extat, posuisse, *Patrem & Filium ratione quidem & cogitatione esse duos; unum autem hypostasi.* Ad 1. respondet Basilus ipse, Gregorium tunc locutum esse de Filio ut homine, seu de Filio secundum naturam assumptam in utero Virginis, non de Filio secundum naturam à Patre acceptam. Ad 2. respondeo Gregorium sumere hypostasin pro natura seu essentia, non pro subsistentia; & sensum ejus esse, quòd Pater & Filius ita sint unus & ejusdem essentiae realiter, ut tamen sint æquivalenter duo etiam secundum essentiam, & substantiam; quatenus tam sunt duæ personæ, duo supposita realiter, quam si distinctas realiter essentias & substantias haberent. Porro ad probandam Gregorii de divinitate Verbi rectam fidem multum valeret proluxa expositio, quam sub ejus nomine ediderunt Turrianus & Vossius; at non à Gregorio, sed ab alio autore, post exortam hæresim Arianam, conscriptam fuisse ipsa lectio docet.

§. VII.

De sanctis Martyribus Luciano, & Methodio.

Lucianus, Antiochenus Presbyter, celebris morum sanctitate & doctrina, Nicomediæ anno 311. sub Galerio Maximiano martyrio coronatus est. Hunc à tribus Episcopis excommunicatum, quòd apud se Paulum Samozatenum excepisset, longo tempore mansisse scribit Alexander Alexandrinus in sua ad cognominem Bisantii Episcopum epistola. Hunc etiam, ut unum è ducibus suis, venditabant Arius & ejus gregarii; unde & ab ejus nomine se *Lucianistas* cognominabant. Eum tamen de Verbi divinitate rectè sensit, probatur ipsimet Eusebiani; cum se secundam formulam Antiochenam manu ipsius Luciani scriptam invenisse, publicè protestati sunt. Hæc enim formula, in sensu obvio & proprio verborum, planè catholica est in iis, quæ ad Verbum seu Filium Dei attingunt, ut suo loco ostensum est: neque aliud in ea desideratur præter *omousii* vocabulum, quod tamen in ea æquivalenter continetur.

Methodius Tyri Episcopus, floruit Diocletiano imperante, & anno ejus 20. gloriosum martyrium obiit, vir sanctitate & doctrina conspicuus. Hunc quoque de Verbi divinitate rectè sensit, prob. 1. ex Theodoretò in dialogo 1. ubi hæc ejus verba referuntur: *Adeo admirabile, & tanto studio expetendum est martyrium, quòd ipse Dominus Jesus Christus Filius Dei se id honorare testatus sit, non rapinam arbitratus se esse equalem Deo, ut etiam eo dono hominem, ad quem descenderat, coronaret.* 2. Ex ipso Methodio in lib. de Simcone & Anna, in quo sic alloquitur B. Virginem: *Sola, quæ Dei sunt, cum Deo partiri meruisti; quæ sola Deum carne pepereris, ipsum qui ex Deo Patre unigenitè & coeternè natus est.* Et inferius de Christo nato: *Venit lumen tuum, lumen sempiternum, lumen perenne, lumen supremum, lumen immateriale, lumen Deo ac Patri consubstantiale: lumen quod est in Spiritu, & in quo est Pater: lumen illuminans sæcula: lumen illuminans cœlestia & terrestria Christus verus Deus noster.* Et inferius sic adhuc Christum alloquitur: *Tu lumen verum ex vero lumine; Deus verus ex Deo vero. . . . At te ipse, non per gratiam Deus. . . . Quoniam tua est gloria, & potestas, & magnificentia, ac majestas cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum.*

Obi.

§. 1. exom. l. 1. cap. 11.

Biblioth. PP. tom. 3.

Obj. Hæc verba Methodii, quæ refert Photius eodem 235. *Duas vires in iis, quæ ante confessa sunt, esse diximus effectrices: unam, quæ ex non exstantibus nuda voluntate sine cunctatione, simul ac voluit, per se ipsam molitur quidquid vult facere, ea quæ est Pater; alteram, quæ componit, & varietate quadam exornat ad prioris imitationem, quæ iam facta sunt; & est Filius omnipotens, ac fortis manus Patris, in qua postquam fecit materiam ex non exstantibus exornat.* R. breviter, Methodium hic duas vires effectrices in Deo dicere, duas, inquam, non essentialiter seu substantialiter, sed personaliter, hoc est, duas personas efficiendi vim habentes, quarum uni creationem universi, quia principium est sine principio; alteri vero universi exornationem, quia vi originis suæ, est primario & per se sapientia divina, attribuit. Cum autem dicit Filium omnipotentem, verum Deum confiteretur eum; cum soli vero Deo conveniat esse omnipotentem. Hactenus de Patribus Græcis.

§. VIII.

De Tertulliano,

bellarm. lib.
de Script.
Ecl.

Tertullianus floruit, Severo imperante. Initio Catholicus ardentissimi zeli, postea in Montani hæresim prolapsus est, & contra Ecclesiam multa scripsit. Eum de Verbi divinitate sensit, quod sentit Ecclesia, disput. I. jam ostendimus, & adhuc, quantâ fieri poterit brevitate, ostendimus.

PROPOSITIO

Verbum unius & ejusdem esse substantiæ cum Patre docuit Tertullianus.

Prob. Nam I. in lib. de pudicitia c. 21. dicit, *Trinitatem unius divinitatis, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.* 2. In Apologetico, de Filio loquens, sic ait: *Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ.* 3. Lib. 3. contra Marcionem c. 6. asserit, *Christum seu Filium, & Spiritum sanctum esse substantiam creatoris, & eos, qui Patrem non agnoverint, nec Filium agnoscere potuisse per ejusdem substantiæ conditionem.* 4. In lib. contra Praxeam c. 2. docet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius esse substantia, unius status, unius potestatis. Et c. 4. *Filium non aliunde deducere se, de substantia Patris.* Et c. 25. sic ait: *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Patre, tres efficiunt coherentes, alterum ex altero: qui tres unum sunt, non unus: quomodo dictum est: Ego & Pater unum sumus, ad substantia unitatem, non ad numeri singularitatem.*

Hinc Tertullianus omnia Patris nomina essentialia, adedque perfectiones omnes essentialia, nominibus illis significatas, Filio attribuit lib. contra Praxeam c. 17. *Sed & omnia Patris, Deus omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, Qui est: quatenus ita Scriptura docent, hæc dicimus & in Filium competisse, & in his Filium venisse, & in his semper egisse, & sic ea in se hominibus manifestasse.* Omnia, inquit, Patris mea sunt; cur non & nomina? Cum ergo legis Deum Omnipotentem, & Altissimum, & Deum virtutum, & Regem Israelis, & Qui est; vide ne per hæc etiam Filius demonstretur, suo jure Deus omnipotens, quæ sermo Dei omnipotentis, quaque omnium accepit potestatem, altissimus, &c. Hinc etiam Filium Patri exæquat eodem lib. c. 22. ubi hæc habet de Filio: *Unum sumus, dicens, Ego & Pater, ostendit duos esse, quos aquat, & jungit.* Et lib. de resurrectione carnis c. 6. ubi sic ait: *Sermo Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit parisciari Deo Patri.*

Obj. Tertullianus lib. contra Praxeam c. 14. & 15. probat realem distinctionem personarum Patris & Filii ex invisibilitate unius, & ex visibilitate alterius; ex eo quod unus nunquam visus, alter vero visus

Simonet Theol. Tom. I.

fuerit. Hæc est ejus argumentatio. De una & eadem realiter persona verum esse non potest, quod invisibilis sit, & visibilis; quod nunquam, & quod aliquando visa sit. Atqui secundum tam veteres quam novas Scripturas, Pater invisibilis est, & Filius visibilis; Pater nunquam visus est, & Filius aliquando visus. Ergo non una & eadem est, sed duplex realiter persona Patris & Filii.

Audiamus Tertullianum. *Adhuc, inquit, & illa nobis regula adsit duos vindicantibus Patrem & Filium, quæ invisibilem Deum determinavit. Cum enim Moyses in Aegypto desiderasset Domini conspectum, dicens: Si ergo inveni gratiam coram te, manifesta mihi te. . . Non potes videre, inquit, faciem meam. Non enim videbit homo faciem meam, & vivet. . . Invenimus & a multis Deum visum, & neminem tamen eorum, qui eum viderant, mortuum. . . Nam Patriarchæ Deum vidisse referuntur, ut Abraham & Jacob: & Prophete, ut Esaias & Ezechiel; & tamen mortui non sunt. . . Jam ergo alius erit, qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri, qui videbatur: & consequens erit, ut invisibilem Patrem pro plenitudine majestatis, visibilem vero Filium agnoscamus pro modulo derivationis. . . Scriptura differentiationis patrocinator, per visibilis & invisibilis distinctionem, &c.*

Ecce & in Evangeliiis, sic enim prosequitur cap. sequenti, & in Apostolis visibilem & invisibilem Deum deprehendo, sub manifesta & personali distinctione conditionis utriusque. Exclamat quodammodo Joannes: Deum nemo vidit unquam, utique nec retrò. Confirmat & Apostolus de Deo: Quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest. . . Idem ipsi Apostoli & vidisse se Christum & contraxisse testantur. Porro si ipse est Christus, & Pater & Filius, quomodo visus est, & invisus? Tum postquam effugium eorum, qui dicerent eundem invisibilem & visibilem, invisum & visum fuisse, invisibilem quidem & invisum ante incarnationem, visibilem vero & visum post incarnationem, expolit, ostendendo eum, qui post incarnationem visibilis & visus fuit, visibilem quoque & visum fuisse ante incarnationem; & eum, qui ante incarnationem invisibilis & invisus fuit, invisibilem quoque & invisum fuisse post incarnationem, sic concludit: Filius ergo visus est semper, & Filius conversatus est semper, & Filius operatus est semper ex auctoritate Patris, & voluntate, &c.

Ex his autem sic argumentaberis. Ille non sensit unam & eandem esse Patris & Filii substantiam, qui sensit Patrem invisibilem, Filium vero visibilem esse; qui sensit Patrem nunquam visum fuisse, Filium vero fuisse visum, non solum post, sed etiam ante carnem in utero Virginis susceptam. Nemo enim mediocriter sapiens non videt, eorum, quorum una & eadem est substantia, si unus invisibilis est, alterum quoque invisibilem esse; & e contra si unus est visibilis, alterum quoque esse visibilem; nec unum videri, quin alter quoque videatur: unde illud Christi: *Qui videt me, videt & Patrem.* Atqui Tertullianus sensit, & pro viribus probare conatus est, Patrem invisibilem esse, & Filium visibilem; Patrem nunquam visum esse, & Filium non solum post, sed etiam ante incarnationem visum. Ergo, &c.

R. dist. maj. Ille non sensit unam & eandem esse Patris & Filii substantiam, qui sensit Patrem invisibilem, Filium vero visibilem esse, &c. Si sensit Filium visibilem esse, & aliquando visum fuisse sub propria specie, C. maj. Si tantum sensit Filium visibilem esse, & visum fuisse sub assumpta specie, Neg. maj. At Tertullianus sensit tantum Filium visibilem esse, & visum sub assumpta specie sensibili, atque hominibus tum ante, tum post incarnationem apparuisse; ante incarnationem quidem in corpore aereo, ad tempus assumpto; post incarnationem vero in carne vera, & nostræ planè simili, excepta originali deordinatione; quam carnem sibi hypostaticè univit in utero B. Virginis. Sed ut mentem Tertulliani planè assequaris,

R

Nota.

Nota. Tertullianus sensit, 1. Patrem invisibilem esse in propria forma, etiam de potentia absoluta & extraordinaria, quia substantia divina spiritalis est & insensibilis, adeoque eam sub sensu cadere repugnat. 2. Patrem invisibilem esse etiam in assumpta forma, non quidem de potentia absoluta & extraordinaria, sed de ordinaria, quia Pater ab aeterno decrevit, nunquam se etiam in forma assumpta videndum hominibus exhibere, quod decretum nobis tum in veteri, tum in novo Testamento revelavit. Hujus autem decreti ratio congrua est, quia conveniens fuit, ut ex personis divinis illa tantum hominibus apparerent in hac mortali vita, quae ad homines mitti possent, Pater autem potest quidem mittere duas alias personas, quia principium illarum est, & ab eo procedunt: at ipse mitti non potest ab alia persona, quia est sine principio, nec est alia persona, à qua procedat. 3. Et ita Patrem nequidem in assumpta forma aliquando visum esse, non quoddam nequidem absolute posuerit hominibus apparere in assumpta forma, sed quia nunquam sic hominibus apparere in tempore, immobiliter decreverat in aeternitate.

De Filio sensit Tertullianus, 1. non solum de potentia absoluta & extraordinaria, sed etiam de potentia ordinaria, & vi praesentis decreti visibilem esse, non quidem in propria, sed in assumpta forma. 2. Re ipsa non solum post, sed etiam ante incarnationem, hominibus in assumpta forma apparuisse, & ab eis visum esse: quod tum ex veteri, tum ex nova Scriptura conatur ostendere. Sic igitur ad probandam distinctionem realem personarum Patris & Filii, argumentatur Tertullianus. De una & eadem realiter persona verum esse non potest, quod simul sit de potentia ordinaria visibilis & invisibilis in assumpta specie, & quod in assumpta specie aliquando & nunquam visa fuerit. Atqui secundum Scripturas tam veteres, quam novas, Pater de potentia ordinaria invisibilis est in assumpta specie, & Filius visibilis est; Pater nunquam visus est in assumpta specie, & Filius aliquando visus est, etiam antequam caro fieret. Ergo Pater & Filius non sunt una & eadem persona, sed sunt duae personae realiter distinctae, quamvis unam & eandem numero substantiam habeant.

Quod autem Tertullianus senserit Filium in propria forma, tam invisibilem esse de quacumque potentia, quam Pater invisibilis est; nec Filium etiam ante incarnationem nisi in assumpta forma visum esse ab hominibus, demonstratur ex verbis ipsius Tertulliani. Sic enim loquitur: *Dicimus enim & Filium suo nomine eatenus invisibilem, quia sermo & spiritus Dei ex substantia conditione jam nunc; & quia Deus, & sermo, & spiritus. Visibilem autem fuisse ante carnem eo modo quo dicit ad Aaron & Mariam: Et si fuerit propheta in vobis, in visione cognoscat illi, & in somnio loquar illi, non quomodo Moysi: os ad os loquar illi in specie, id est, in veritate, & non in enigmate, id est, non imagine, sicut & Apostolus: Nunc videmus tanquam per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. . . At nunquid Filius quidem videbatur? etsi facies, sed ipsum hoc in visione, & somno, & speculo, & enigmate: quia sermo, spiritus, nisi imaginaria forma, videri non potest. Hinc ibidem dicit Filium à Patriarchis & Prophetis non fuisse visum nisi retro; cum Filius hominibus apparuit, Deum quidem visum fuisse secundum hominum capacitates, non secundum plenitudinem divinitatis.*

Obj. 2. Tertullianus docuit Filium à Patre separatum esse. Sed quae separata sunt, distinctas & diversas habent substantias. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam lib. contra Praxeam c. 6. de Sophia, hoc est, de Filio loquens, sic ait: *Adstantem eam ipsa separatione cognosce.* R. dist. majorem, Tertullianus docuit Filium separatum esse à Patre separatione latè & improprie dicta, C. maj. Separatione proprie & strictè sumpta, N. maj. Duplex itaque apud Tertullianum distinguenda est separatio, una scilicet impro-

pria & lata, quae nihil aliud est, quam personalitatum distinctio & diversitas; altera verò stricta & propria, quae distinctio & diversitas est non solum personalitatum, sed etiam substantiarum. Primam autem separationem, Patri & Filio attribuit; secundam ab illis removit Tertullianus.

Ad prob. R. Tertullianum ibi loqui de separatione lata & impropria, nec aliud velle, quam realem personarum Patris & Filii distinctionem probari, ex eo quod in Scriptura Sophia seu Filius dicatur Patri adstitisse in aeternitate, cum res à se in tempore condendas ordinaret: repugnat enim eum, qui adstitit, unam & eandem esse personam cum eo, cui adstitit. Quod autem separationem propriam & strictam, quae in substantiarum diversitate consistit, à Patre & Filio removerit Tertullianus, patet ex eod. lib. c. 9. ubi sic ait: *Hanc me regulam professum, qua inseparatos ab alterutro Patrem, & Filium, & Spiritum testor, tene ubique; & ita quid quomodo dicatur, agnosces. Ecce enim dico alium esse Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum.* (En separatio lata & impropria, quam admittit.) *Male accepit idiotae quisque aut perverfus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, & ex diversitate separationem protendat, Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* (En separatio stricta & propria, quam removit.) *Necessitate autem hoc dico. . . non tamen diversitate alium Filium à Patre, sed distributione: nec divisione alium, sed distinctione.*

Nota obiter. Tertullianus solum distinctionem & diversitatem personalitatum Patri & Filio attribuit, & ab illis discrete rejicit distinctionem & diversitatem essentialium seu naturarum. At ubi non est distinctio & diversitas essentialium seu naturarum, ibi essentiae seu naturae unitatem & identitatem esse necesse est, ut notum est ex terminis. Manifestum igitur est, Tertullianum Patri & Filio essentialiae seu naturae unitatem & identitatem attribuisse.

PROPOSITIO II.

Tertullianus Filio non attribuit tantum partem essentialiae seu naturae divinae, sed totam attribuit.

Prob. Nam 1. Tertullianus non ignoravit, quod vel mediocriter sapientibus ignorare non licet, essentialias nimirum seu naturas rerum esse prorsus impartibiles. Ergo hoc ipso, quod Tertullianus essentialiam seu naturam divinam attribuit Filio, totam & integram attribuisse censendus est. 2. Si Filius non habet totam & integram essentialiam divinam, non est integrè Deus, sed diminutè tantum: sicut qui non haberet totam essentialiam humanam, non esset integrè homo, sed ad summum diminutè: imò verò si Filius non habet totam & integram essentialiam seu naturam divinam, non est verè Deus: sicut qui non habet naturam humanam totam & integram, nec est, nec esse potest verè homo. Utrumque consequens evidenter repugnat doctrinae Tertulliani. Ergo, &c. 3. Essentialia, seu natura divina, ut hic sumitur, nihil aliud est quam collectio attributorum divinarum absolutorum. Atqui Tertullianus hanc collectionem Filio attribuit, ut patet ex lib. contra Praxeam c. 17. & cap. 22. ubi ait Filium Patri aequalem esse, in essentialibus scilicet & absolutis. Et ex omnibus aliis locis, in quibus docet Patrem & Filium unum esse divinitate vel substantia: nam quae unum sunt in aliqua ratione, in eadem ratione aequalia sunt inter se: unitas enim aequalitatem facit. Ergo, &c.

Obj. Tertullianus lib. contra Praxeam c. 9. sic loquitur: *Pater tota substantia est, Filius verò derivatio totius, & portio, sicut ipse profertur: Pater major me est.* Ergo secundum Tertullianum, Filius per generationem non accipit totam Patris substantiam, sed partem illius tantum. R. neg. conf. Nam Tertulliani verborum, quae videntur dura, hic sensus est: Tota substantia divina est in Patre, tanquam in fonte, unde profluit in alias personas divinas, Filium scilicet, & Spiritum sanctum. Filius verò est veluti rivus profluens ex hoc fonte, & veluti portio illius

illius, non quod non habeat totam illius substantiam, essentiam, naturam, divinitatem; sed quia non habet id totum, quod est fons ille, seu, quod idem est, non habet id quod persona Patris habet præter substantiam, essentiam, naturam, divinitatem, nempe prærogativam illam notionalem, esse fontem, unde prosiliunt aliæ Personæ divinæ, esse principium sine principio; quia prærogativa Filio excellit: unde Filius ipse proficitur: *Pater major me est*.

Hanc esse Tertulliani mentem patet ex eodem illo capite, ubi à Patre & Filio diversitatem, separationem ac divisionem in substantia removet; adedque Patri & Filio unitatem & identitatem in substantia, non specificam tantum, sed numericam attribuit, sola eis personalitatum distinctione relicta. At si Filius per generationem non acciperet totam substantiam Patris, sed portionem illius tantum, non esset una & eadem numero substantia Patris & Filii, sed duplex numero, & substantia Filii esset separata ac divisa à substantia Patris: quod est contra Tertullianum.

Audiamus illum: *Dico alium esse Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum... Necessitate autem hoc dico, cum eandem Patrem & Spiritum contendunt, adversus æconomiam monarchia adulantes, non tamen diversitate alium Filium à Patre, sed distributione: nec divisione alium, sed distinctione: quia non sit idem Pater & Filius, vel modula alius ab alio. Pater enim tota substantia est, Filius vero derivatio totius, & portio: sicut ipse proficitur: Pater major me est... Pater alius à Filio, dum Filio major: dum alius qui generat, alius qui generatur: dum alius qui mittit, alius qui mittitur, &c. Juxta Tertullianum igitur, alius est Pater, & alius Filius, non diversitate, vel separatione aut divisione substantiæ, sed distributione, & distinctione; distributione quidem, quia unus non est totum quod est alter; Filius enim, quamvis verè & perfectè Deus, quia totam habet divinitatem, non est fons, non est principium sine principio, non est Pater; nam omnia, quæ Patris sunt, nascendo accipit, præter esse Patrem: distinctione verò, quia unus est ab alio realiter, unus est, qui generat, & alter, qui generatur; unus, qui mittit, & alter, qui mittitur; unus altero major, non quidem deitate, sed notionali prærogativa Patris.*

Obj. 2. verba illa Tertulliani eod. lib. contra Praxeam c. 14. Consequens erit, ut invisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majestatis, visibilem vero Filium agnoscamus pro modulo derivationis: sicut nec solem nobis contemplari licet quantum ad ipsam substantiam summam, quæ est in cælis; radium autem ejus toleramus pro temperatura portionis, quæ in terram inde porrigitur. Quibus verbis asserit Tertullianus, 1. Patrem ab hominibus videri non posse; Filium verò posse videri. 2. Patrem ab hominibus videri non posse, quia possidet plenitudinem majestatis seu substantiæ divinæ; Filium verò posse videri, quia hujus majestatis seu substantiæ divinæ non plenitudinem, sed portionem tantum habet. 3. Filium se habere ad substantiam Patris, sicut se habet radius ad substantiam solis; adedque, sicut radius non est, nisi quædam substantiæ solaris portio & extensio, Filium non esse nisi quædam substantiæ Paternæ extensionem & portionem.

R. Dura quidem esse verba Tertulliani, sed bonam interpretationem haud difficilè admittere. Tertullianus itaque, qui cum multis aliis putavit Filium etiam ante assumptam carnem hominibus apparuisse in corpore ad tempus assumpto, probat realem personarum Patris & Filii distinctionem, ex eo quod Pater invisibilis sit, Filius verò sit visibilis. At 1. non loquitur de invisibilitate Patris & visibilitate Filii in propria forma; utrumque enim in propria forma invisibile esse, diserte hic asserit, ut superius ostensum est; sed de invisibilitate Patris, & visibilitate Filii in forma aliqua sensibili assumpta. 2. Cum ait Patrem etiam in assumpta forma videri non posse, Filium verò posse videri, loquitur non de potentia absoluta & extraordinaria, sed de ordinaria,

Simonet Theol. Tom. I.

Certè gratis omnino diceretur Tertullianus, voluisse Patrem in assumpta forma invisibile esse, etiam de potentia absoluta & extraordinaria; cum ei planè sufficeret ad probandam distinctionem personarum Patris & Filii, quod de potentia ordinaria Pater invisibilis esset, Filius è contra esset visibilis in assumpta forma; nec aliam Patris invisibilitatem, aut visibilitatem Filii ex Scripturis, quas allegat, erueret se posse, prudenter sperare poterat.

Tertullianus igitur in textu nihil aliud intendit, quàm Patrem ab hominibus videri non posse, Filium è contra posse videri in forma aliqua assumpta, quia Pater decrevit nunquam sic apparere, & voluit Filium suum sic apparere hominibus. Cujus decreti & voluntatis hanc rationem congruam reddit, quod Pater possidet plenitudinem majestatis, Filius verò hujus majestatis portionem tantum. Per plenitudinem autem majestatis non intelligit solam substantiam divinam, sed substantiam divinam cum ratione ingeneriti & genitoris; substantiam divinam cum notionali prærogativa fontis seu principii sine principio; vi cuius prærogativæ putat Tertullianus primam personam aliis duabus excellere, & in eas quandam autoritatem habere, quantumvis tres sint unius divinitatis & substantiæ.

Cum itaque Tertullianus ait Patrem invisibile esse pro plenitudine majestatis, Filium verò visibilem esse pro modulo derivationis, nihil aliud intelligit, quàm Patrem, quia ab eo sunt aliæ personæ divinæ, ipse verò à nullo est, convenienter noluisse unquam formam sensibilem assumere, & in ea hominibus se videndum exhibere; è contra convenienter voluisse, ut Filius formam sensibilem assumeret, & in ea se videndum exhiberet hominibus, arque cum illis colloqueretur, ut nuncius illius, à quo accipit esse per veram generationem, cui proinde subest tanquam filius patri, cui tamen par est in essentia & natura.

Quantum autem attinet ad exemplum solis, & ejus radii, quo utitur Tertullianus, minimè hic intendit illud valere quantum ad omnia, & ad amussim congruere Patri & Filio. Nam 1. radius solaris videtur in propria forma: at Filium in propria forma videri posse negat Tertullianus. 2. Juxta Tertullianum, radius est extensio substantiæ solaris, seu, quod idem est, substantia solaris extensa & porrecta: unde, juxta Tertullianum, radius solaris nec propriè producit, nec est suppositum distinctum à sole: at Filium propriè produci seu generari à Patre, & personam Filii aliam esse à persona Patris, docet & probat Tertullianus. Allatum igitur exemplum, juxta mentem Tertulliani, ad hoc valet tantum, ut innuat notionalem illam præminentiam, quàm Patrem supra Filium obtinere existimat Tertullianus, & vi cuius congruum fuit, ut Pater nunquam, Filius verò aliquando videndum se præberet hominibus in assumpta forma visibili.

Obj. 3. Tertullianus sic loquitur de Filio in apologetico c. 21. Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ: nam & Deus Spiritus. Etiam cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa, sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum, manet integra & indefecta mater matrix, etsi plures inde trahuntur qualitates mutue: ita & quod de Deo profectum est, Deus est & Dei Filius, & unus ambo. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, modulo alterum numerum gradu non statu fecit, & à matrice non recessit, sed excessit. Ecce Tertullianus apertè docet Filium esse tantum portionem quandam & extensionem substantiæ paternæ; sicut radius solis est tantum portio quædam, & extensio substantiæ solaris.

R. Immeritò hic reprehendi Tertullianum: nam comparat Filium cum radio, & generationem Filii cum productione radii, seclusis imperfectionibus, quæ in

R 2

sub.

substantiis materialibus reperiuntur, & quæ in Deo locum habere non possunt. Itaque juxta Tertullianum, Verbum est verè & propriè Filius Dei, quia verè & propriè generatur à Patre; & verè ac propriè generat illud Pater, quia generat illud de sua substantia: unde una est Patris & Verbi substantia; atque ita Verbum est verus Deus, & cum Patre unus verus Deus. Verbum igitur Spiritus est de Spiritu, Deus de Deo, Deus verus de Deo vero; alter numero à Patre propter gradum, non propter statum, hoc est, non quia alterius est & diversæ substantiæ, sed quia propter generationem secundus est à Patre, à quo generatur, & in quo post generationem manet, absque omni separatione & divisione, sicut & absque omni passione & diminutione generantis.

Hanc doctrinam illustrat exemplo radii solaris. 1. Itaque, sicut radius non est totus sol, sed tantum illius quædam portio; ita Filius non est totus Pater, hoc est, non est id totum, quod est Pater: non enim à Patre accipit, esse Patrem; licet ab eo accipiat, esse Deum verum & perfectum, quia ab eo accipit totam substantiam seu totam naturam divinam; unde quamvis verus & perfectus Deus, caret notionali prerogativa ingeniti & genitoris, fontis & principii sine principio, qua proinde à Patre exceditur; quo sensu solum est quædam portio Patris.

2. Sicut sol est in radio, quem producit, & vicissim radius est in sole, à quo producit; ita Pater est in Filio, quem generat, & vicissim Filius in Patre, à quo generatur: quia sicut una est substantia solis & radii, vi cuius sibi mutuo immanent sol & radius; ita una substantia est Patris & Filii, vi cuius sibi mutuo immanent Pater & Filius.

3. Una est substantia solis & radii, quia radius producit, vel certè quasi producit, non per separationem, divisionem, decisionem substantiæ solaris, sed per ejus extensionem & porrectionem: ita una substantia est Patris & Filii, quia in Filii generatione, substantia non separatur, nec dividitur, sed solum extenditur, & porrigitur, eo scilicet modo, quo, seclusis imperfectionibus, extendi & porrigi substantia divina, quæ spiritualis est, & simplicissima, adeoque partibus carens, dici potest & intelligi; proindeque modo planè diverso ab eo, quo extenditur & porrigitur substantia materialis. Neque aliud sensisse, absque injuria dici potest Tertullianus.

Itaque secundum mentem Tertulliani, substantia Patris non extenditur ad modum substantiæ materialis, per rarefactionem scilicet propriam vel impropiam, occupando majus spatium, quam antea; sed ad modum substantiæ spiritualis, quæ extendi dicitur, cum in pluribus locis vel suppositis incipit esse tota, quam esset prius sive re, sive ratione tantum, juxta Tertullianum, Pater generando Filium, extendit substantiam suam, quia totam transfundit in Filium, & nihilominus totam retinet: unde fit, ut substantia divina, quæ in priori originis est (præcisivè scilicet) in uno tantum supposito, nempe in Patre, in posteriori originis est tota in pluribus suppositis, nempe in Patre & Filio.

Ad mentem igitur Tertulliani, Pater est in Filio, & Filius in Patre, quia una est utriusque substantia; & una est utriusque substantia, quia in generatione Filii substantia Patris non dividitur, sed extenditur suo modo; hoc est, quia tota communicatur Filio, & tota à Patre retinetur; sicut sol est in radio, & radius in sole, quia una est utriusque substantia; & una est utriusque substantia, quia in productione vel quasi productione radii, substantia solis non dividitur, sed porrigitur suo modo. Unde quia substantia solis porrigitur ad modum substantiæ materialis, sol est in radio, tanquam totum in parte, & radius est in sole, tanquam pars in toto. Quia verò substantia Patris in generatione Filii extenditur ad modum substantiæ spiritualis, Pater est in Filio, tanquam verus Deus in vero Deo, & vicissim; adeoque Pater est in Filio, tanquam totus in toto, ac perfectus in perfecto, &

vicissim; quamvis adhuc dici possit Pater esse in Filio, tanquam summa in portione; & vicissim dici possit Filius esse in Patre, tanquam portio in summa, in sensu superius explicato.

Addit Tertullianus Patrem se habere ad Filium, quem generat, sicut se habet lumen ad lumen, quod accendit; sicut enim lumen aliud lumen etiam sibi æquale accendendo, non minuitur; ita Pater non minuitur, generando Filium sibi in essentia & natura perfectè similem, adeoque & patrem, quia videlicet Filio per generationem sic totam substantiam suam communicat, ut totam retineat; & Filium generat, non per partitionem vel decisionem substantiæ suæ, sed per totius transfusionem; quam transfusionem, quia fit, ipsa tota substantia divina remanente in Patre, substantiæ divinæ extensionem nominat Tertullianus.

PROPOSITIO III.

Tertullianus docuit æternam esse Verbi, seu, ut ipse dicere maluit, Sapientiæ notionalis generationem.

Prob. ex lib. contra Praxeam c. 5, ubi sic ait Tertullianus: Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia, Solus autem; quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Ceterum ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius; & ita ab ipso omnia. Que ratio sensus ipsius est, Hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis, sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis à principio, sed rationalis Deus etiam ante principium: & quia ipse quoque sermo ratione consistens priorem eam ut substantiam suam ostendat. . . tamen & sic, nihil interest. Sed etsi Deus nondum sermonem suum miserat, proinde cum ipsa & in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando & disponendo secum, que per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone trahebat.

Juxta Tertullianum igitur, Deus Pater ante mundi creationem solus erat eo tantum sensu, quod præter illum nihil aliud esset extrinsecus, non quod præter illum non esset intrinsecus, seu intra ipsum alia persona divina; nam habebat secum & in semetipso rationem suam, notionalem scilicet: hic enim rationem à Tertulliano sumi, non essentialiter, sed notionaliter & personaliter, seu, quod idem est, non pro potentia intelligendi, aut actu essentiali, quo Deus constituitur formaliter intelligens, sed pro actu notionali & personali, quem Deus intelligendo producit, & producendo generat sibi Filium in natura perfectè similem, manifestum ex eo est, quod Tertullianus dicat Deum Patrem habere rationem illam secum & in semetipso: Deus enim dici quidem potest habere in semetipso potentiam intelligendi, & actum, quo formaliter intelligit; at utrumque, aut alterutrum secum habere, nonnisi stolidissimè diceretur.

Itaque secundum Tertullianum, Deus Pater nunquam solus fuit, etiam ante creaturarum omnium productionem; quia semper habuit secum & in semetipso notionalem suam rationem; & semper habuit, quia semper non solum essentialiter, sed etiam notionaliter rationalis fuit, hoc est, quia semper fuit in actu intelligendi; & semper intelligendo, semper per realem productionem, & veram generationem habuit secum & in semetipso notionalem & per se subsistentem suæ intellectionis terminum, qui terminus est secunda Persona sanctissimæ Trinitatis.

Rationem hanc notionalem, quam Deus Pater secum & in semetipso semper habuit, à Græcis λόγον nominari dicit Tertullianus, à Latinis verò per

per simplicitatem interpretationis, sermonem; unde & apud Latinos in usu est, dicere sermonem in primordio apud Deum fuisse; cum potius dicendum esset rationem in primordio fuisse apud Deum: quamvis enim eadem res per se subsistens in Deo sit ratio notionalis & sermo; sic est ratio & sermo, ut prius fuerit ratio, quam sermo, si hæc vox, sermo, propriè & strictè sumatur: nam propriè & strictè sumpta, significat aliquid prolatum exterius. Deus autem Pater semper quidem fuit rationalis, at non semper sermone fuit, hoc est, semper ratiocinatus est, & ratiocinando produxit ratiocinationis suæ terminum, nempe rem illam per se subsistentem, quæ Patris ratio notionalis est; at non semper exterius locutus est, exterius proferendo rationem illam suam notionalem; unde hæc ratio notionalis non semper fuit sermo, propriè & strictè loquendo; quamvis semper extiterit in esse rationis notionalis.

Addit tamen Tertullianus, etiam in bono sensu dicti, quod Deus Pater non solum rationem notionalem; sed etiam cum ipsa & in ipsa ratione notionali sermonem in semetipso semper habuerit. Nam etsi Deus, inquit, nondum sermonem suum miserat, hoc est, nondum exterius protulerat, proinde eum cum ipsa & in ipsa ratione intra semetipsum habebat; tacite cogitando & disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone agitabat. Juxta Tertullianum igitur, Deus cum ipsa & in ipsa ratione notionali sermonem habebat, quia tacite cogitando, interius loquebatur cum ipsa & per ipsam, quam cogitando producebat, & quacum, per cogitationem producta, cogitabat. Hinc sic ait c. 8. Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit: Ego in Patre. Et apud Deum semper, sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum. Et nunquam separatus à Patre, aut alius, (hoc est, aliud) à Patre: quia, Ego & Pater unum sumus.

Verbum igitur, & quidem in propria hypostasi existit ab æterno in Patre, juxta Tertullianum. Sed ad plenam ejus doctrinam intelligentiam, nota. Ad mentem Tertulliani, duplex distinguenda est locutio, interna scilicet, & externa; interna quidem, qua interius formatur sermo; externa verò, quæ sermo formatus interius, exterius profertur, & completur in esse sermonis, propriè & strictè sumpti; quia, ut jam observatum est, sermo propriè & strictè sumptus, juxta Tertullianum, est cogitationis, vel eorum, quæ cogitamus, expressio exterius prolata.

Locutio interna sic cum cogitatione connexa est, ut nemo possit cogitare, quin simul formet interius sermonem, & vicissim nemo possit sermonem interius formare, quin simul cogitet. Dum cogito, rei quam cogito, imaginem intentionalem efformo, & simul ac indivisibiliter eodem actu hanc imaginem vocibus internis exprimo: unde uno & eodem indivisibiliter actu cogito, & interius loquor; atque ita unus & idem indivisibiliter actus est cogitatio & sermo: cogitatio quidem, qua objectum mihi præsens intentionaliter exhibeo; sermo, quo mihi objectum illud interius dico, quique se habet ad modum alterius personæ, mihi interius assistentis, & objectum mihi dicentis, atque mecum quodammodo colloquentis. Quodcumque cogitaveris, inquit Tertullianus, semper est: quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo, necesse est: & dum loqueris, collocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitans. Ita secundum quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando; & per quem cogitas loquendo, ipse sermo alius est.

Similiter Deus ab æterno cogitans, rerum, quas cogitabat, ab æterno imaginem intentionalem expressit, quæ imago est ejus ratio notionalis, & eadem illa imago simul & indivisibiliter interius locutus est sibi, & maxime imagini ipsi, quacum proinde ab æterno collocutus est. Quare imago illa ab æterno fuit non solum ratio notionalis, sed etiam sermo Dei

Simonnet Theol. Tom. I.

Dei Patris; & Deus Pater ab æterno habuit secum & in semetipso rationem notionalem, & in ratione notionali sermonem. Quia autem imago illa intentionalis, quam Deus Pater cogitando expressit ab æterno, est substantia per se existens, Deus Pater secum & in semetipso habuit ab æterno aliam & secundam à se personam, quacum non solum cogitavit, & omnia disposuit, sed etiam interius collocutus est ab æterno. Quanto ergo, inquit Tertullianus, plenius hoc agitur in Deo... quod habeat in se etiam tacendo rationem, & in ratione sermonem? Possum itaque non temerè præstruxisse, & tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem, & in ratione sermonem, quem secundum à se faceret agitando intra se.

Hanc nostram interpretationem illustrant & confirmant, quæ cap. sequenti subjicit Tertullianus. Quid sapientius, inquit, ratione Dei, sive sermonis? Itaque Sophiam exaudi ut secundam Personam conditam. Primo: Dominus creavit me initium viarum in opera sua, priusquam terram faceret, priusquam montes collocarentur: ante omnes autem colles generavit me: in sensu scilicet condens & generans. Dehinc assistentem ea ipsa separatione cognosce: Cum pararet, inquit, cælum, aderam illi simul; & cum fortia faciebat super ventos... ego eram cum illo compingens, ego eram ad quam gaudebat: quotidie autem oblectabar in persona ipsius. Nam ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophia ratione & sermone disposuerat intra se, in substantias & species suas edere, ipsum primum protulit sermonem, habentem in se individuas suas rationes Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imò & facta jam, quantum in Dei sensu.

Secundum Tertullianum itaque, Sophia, 1. est ratio notionalis Patris, & sermo, quo intra se loquitur, & quocum colloquitur. 2. Est persona alia, & distincta à persona Patris. 3. Eam Pater in sensu suo, hoc est, in semetipso sentiendo seu cogitando, & interius loquendo, condidit & generavit ab æterno. 4. Cum ea Pater, sic ab æterno cogitatione & interna locutione generata, res condendas cogitavit, & disposuit, atque de illis collocutus ab æterno est. 5. Ut per illam & cum illa conderet res, quas per illam & cum illa cogitaret, & disposuerat, eam, ab æterno generatam, & quasi in utero gestatam, quasi peperit, & protulit exterius. Juxta Tertullianum igitur, Deus Pater secum & in semetipso habuit ab æterno rationem notionalem, & in ratione notionali sermonem; & hæc ratio notionalis Patris, quæ etiam simul & indivisibiliter fuit ejus sermo, fuit ab æterno res per se subsistens, & secunda Trinitatis Persona, quam prima intra se cogitando & loquendo generavit ab æterno.

Nec obstant ea quæ subsequuntur c. 7. ubi si ait: Tunc igitur etiam ipse sermo speciem & ornatum suum sumit, sonum & vocem, cum dicit Deus: Fiat lux: hæc est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ... dehinc generatus ad effectum... exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est; primogenitus, & ante omnia genitus, ut solus ex Deo genitus: propriè de vulva cordis ipsius, secundum quod & Pater ipse testatur: Eructavit cor meum sermonem optimum. Ad quem deinceps gaudens proinde gaudentem in persona illius: Filius meus es tu, ego hodie genui te; & Ante luciferum genui te. Sic & Filius ex sua persona proficitur Patrem in nomine Sophiæ: Dominus condidit me, &c. Hæc enim non difficile habent interpretationem, nec repugnant iis, quæ hæcenus dicta sunt de mente Tertulliani circa Verbi æternitatem.

Itaque 1. cum Tertullianus dicit: Tunc etiam ipse sermo speciem & ornatum sumit, sonum & vocem, cum dicit Deus: Fiat lux; nihil aliud vult, quam sermonem, ab æterno conditum & generatum in nomine Sophiæ & rationis notionalis, in tempore completum

R 3

fuisse

Cap. 5.

Cap. 5.

fuisse in ratione sermonis propriè & strictè dicti, quando exterius prolatus est per productionem creaturarum, non quoddam sermoni per externam prolationem aliquid accesserit intrinsecum, quo antea caret; sed quia externa prolatio est conditio, sine qua sermo, quantumvis formatus interiorius, & totus existens, non est, nec dici potest propriè & strictè sermo: unde secundum Tertulliani mentem, prolatio externa fuit quoddam complementum extrinsecum sermonis, quem Deus Pater intra se totum & integrum formarat, & generarat ab æterno, quique tamen propriè & strictè dici sermo non cœpit, nisi cum primum exterius à Patre prolatus est, quia sermo propriè & strictè, est aliquid exterius prolatus.

2. Cum ait: *Hæc est nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit*; per nativitatem intelligit prolationem externam, qua Deus Pater sermonem suum veluti peperit, & edidit in lucem. Quam externam prolationem Tertullianus vocat nativitatem perfectam; quia, ea posita tanquam complemento quodam extrinsecum, nihil amplius defuit sermoni, quem Deus Pater ab æterno intra se conceperat, ad hoc ut diceretur & esset propriè & strictè sermo.

Nota. Secundum mentem Tertulliani, ad sermonem propriè & strictè sumptum duo requiruntur; unum scilicet intrinsecum, quod est, esse intentionalem expressionem eorum, quæ cogitat is, qui loquitur; & alterum extrinsecum, quod est prolatio externa. Primum ab externo habuit sermo divinus; nam ab æterno fuit intentionalis expressio eorum, quæ Deus Pater ab æterno cogitavit & disposuit. Secundum verò non habuit, nisi in tempore; non enim habuit, nisi cum creaturæ per eum productæ sunt; cum externa prolatio sermonis sit ipsissima creaturarum per sermonem productio, in Scripturis per modum imperij expressa. Unde secundum Tertulliani mentem, sermo divinus non fuit propriè & strictè sermo, nisi in tempore.

3. Cum addit: *Conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ*... dehinc generatus ad effectum; per illud, *Conditus ad cogitatum*, non significat finem extrinsecum & liberum operanti, sed finem intrinsecum & necessarium generationis æternæ sermonis, quæ generatio per se primò tendit in suppositum cogitans; cum enim Deus Pater cogitando, & interiorius loquendo, generet intra se sermonem, sermo, vi suæ generationis, est primariò & per se vis cogitandi & cogitatio, sicut & interna locutio Patris. Item per illud, *generatus*, intelligit, non internam, sed externam prolationem sermonis, vel, si vis, intelligit non formationem & quasi conceptionem sermonis, sed partum, quo veluti in lucem editus est. Verborum igitur Tertulliani sensus est: Sermo non quidem in nomine sermonis, propriè & strictè loquendo, sed in nomine Sophiæ, seu rationis notionalis, intus ab æterno formatus & conceptus à Deo Patre, ut cum eo cogitaret & disponderet omnia, ab eodem in tempore prolatus est, & in lucem editus, ut (quod intransitivè dicitur) per eum omnia, quæ cum eo cogitaret & disposuerat, efficeret.

4. Cum dicit: *Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est*; nihil aliud vult, quam, 1. Deum Patrem sermonem suum exterius proferendo, & per illum ac cum illo omnia creando, ostendisse illum sibi parem esse virtute, adeoque naturæ & essentia, 2. Sermonem tunc primum Filii denominationem accepisse, cum exterius prolatus est: Tertullianus enim hic, non internam, sed externam processionem intelligit, qua Deus Pater veluti peperit, & in lucem edidit sermonem suum, & qua Patris denominationem accepit. Denique juxta Tertullianum, sermo est primogenitus, ut ante omnia genitus: & unigenitus, ut solus ex Deo genitus, propriè de vulva cordis ipsius; quia solus de substantia Patris in vulva cordis, hoc est, intellectus ipsius, ab æterno formatus & conceptus, ab eo ante omnia

prolatus exterius, & in lucem editus est. Ubi solus dicitur relatè ad creaturas, non ad aliam personam divinam.

Obj. Tertullianus lib. contra Hermogenem c. 3. sic loquitur: *Quia & Pater Deus est, & iudex Deus est: non tamen ideo Pater & iudex semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, ne iudex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit, quod iudicem, & qui Patrem Dominum faceret.* Poruitne Tertullianus Filii æternitatem expressius negare? R. hic Tertullianum negare æternitatem Filii, quantum ad ipsam denominationem Filii, non quantum ad existentiam suppositi, seu substantiæ per se existentis, cui Filii denominatio tribuitur.

Nota. Juxta Tertullianum, suppositum, seu persona illa, quam Deus Pater cogitans & intus loquens, ab æterno generat, pluribus insignitur nominibus: Sophiæ scilicet, Rationis, Sermonis, & Filii; quorum alia habuit ab æterno, alia verò accepit in tempore tantum: nam ab æterno exitit in nomine Sophiæ, rationis, imò & sermonis, cum addito tamen diminutive interni; at non exitit in nomine Filii, sicut nec sermonis simpliciter, nisi postquam à genitore prolata est exterius, & quasi parta, ac in lucem edita: tunc enim, ad mentem Tertulliani, primum perfectè nata est, cum exterius prolata per creaturatum productionem, è vulva cordis paterni, in qua ab æterno formata & concepta, excessit, & in lucem prodit: unde tunc primum cœpit existere in nomine Filii propriè & strictè, atque ita Pater tunc primum propriè & strictè denominatus est Pater.

Nota iterum. Hermogenes, ut probaret materiam æternam esse, & Deo coævam, sic argumentabatur: Deus semper fuit. Ergo semper fuit Dominus. Ergo semper exitit aliquid, in quod dominium exercere posset. Non nisi materia. Ergo materia semper fuit. Hermogeni autem respondet Tertullianus in hunc modum. Deus est Iudex & Pater, sicut est Dominus; & tamen ex eo, quod semper fuerit Deus, non sequitur quod semper fuerit Iudex & Pater. Ergo nec sequitur, quod semper fuerit Dominus. Deus itaque fuit semper Deus, quia semper habuit substantiam, quæ hoc nomine, Deus, significatur. At non semper fuit Iudex, quia non fuerunt semper delicta, quæ punire posset; nec fuit semper Pater, quia progeniem suam, in vulva cordis sui ab æterno formatam & conceptam de tota sua substantia, non nisi in tempore peperit, & emisit in lucem, per eam scilicet imperando creaturis, ut essent. Similiter non fuit semper Dominus, quia non semper extra ipsum extiterunt res, in quas jus suum & potestatem posset exercere. Sicut igitur Deus in tempore factus est Iudex, cum primum Angeli peccarunt; & Pater, cum primum natus est ei Filius per externam prolationem sermonis, quem quasi in viscibus gestabat ab æterno: ita & in tempore factus est Dominus, cum per externam sermonis prolationem, creaturæ à non esse transierunt ad esse; sic ut fuerit Pater ratione prius, quam Dominus; nec cœperit esse Dominus, nisi quia cœpit esse Pater, exterius proferendo sermonem, & per eum dando esse creaturis. Hanc esse mentem Tertulliani, patet ex toto contextu loci allegati, quem consulere potes.

Obj. Eodem lib. contra Hermogenem c. 18. disertè asserit Sophiam non fuisse conditam & generatam ab æterno: nam sic ait: *Ut necessariam (Sophiam) sensisset (Deus Pater) ad opera mundi, statim eam condidit, & generat in semetipso.* Et inferiorius: *Si intra Dominum, quod ex ipso & in ipso fuit, sine initio non fuit: Sophia scilicet ipsius exinde nata & condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari: multo magis non capit sine initio quicquam fuisse, quod extra Dominum fuerit. Si vero Sophia eadem Dei sermo est sensu Sophia, & sine quo factum est nihil, sicut & dispositum sine Sophia, quale est ut Filio Dei sermone unigenito & primogenito aliquid fuerit præter Patrem antiquius?*

R. neg. obj. Nam, ut supra vidimus, Tertullianus docet

docet Deum nunquam fuisse solum, quia secum & in semetipso semper habuit suam rationem notionalem. Atqui, secundum eundem, Sophia est ratio notionalis Dei Patris. Ergo Deus Pater, ex Tertulliano, semper secum & in semetipso habuit Sophiam, adeoque eam ab aeterno condidit & genuit. Præterea, ut dicitur in primo textu, secundum Tertullianum, Deus Pater condidit & genuit Sophiam, ut sensu eam esse necessariam ad opera mundi. Atqui, secundum eundem, Deus Pater hoc sensit ab aeterno: quod enim Tertullianus putaverit Deum Patrem non nisi paulo ante creationem mundi, & consequenter non nisi post integram æternitatem, Sophiæ ad opera mundi necessitatem intellexisse, prorsus incredibile est; præsertim cum tam magnificè sentiat & loquatur de Deo, putà quando eum definit summum magnam. Ergo Deus ab aeterno condidit & genuit Sophiam, secundum Tertullianum.

Igitur ad alia Tertulliani verba, quæ in objectione subjiciuntur, R. ibi Tertullianum contra Hermogenem probare, quod materia non extiterit ab aeterno ingenerata & infecta; & probare ex eo, quod materia, cujus substantia diversa est à substantia Dei, si fuerit sine initio, hoc est, sine principio sui esse, sit aliquid sublimius & præstantius ipsa Sophia, quæ tamen unius & ejusdem est substantiæ cum Deo ingenerito; sit, inquam, aliquid sublimius & præstantius, quia Sophia non fuit sine initio, hoc est, non fuit sine principio sui esse, Quod autem ut esset, ait ibidem Tertullianus, nullius eguit authoris, multo sublimius erit eo, quod ut esset, aliquem habet auctorem. Quare cum Sophia, quæ & Filius, & sermo Dei est, adeoque Deus est, & verus Deus, & unus cum Deo Patre verus Deus, non fuerit sine initio, hoc est, ut esset, habuerit auctorem; Hermogenes asserendo materiam fuisse sine initio, hoc est, ut esset, nullius eguisse authoris, materiam anteponebat Sophiæ, adeoque anteponebat Deo & vero Deo: anteponebat enim Filio & sermoni Dei, qui cum Deo Patre unum est substantia, quique proinde cum eo unus est verus Deus. Hoc nomine, inquit ibidem Tertullianus, materiam Deo præponit Hermogenes, præponendo eam Filio. Filius enim sermo, & Deus sermo, & Ego & Pater unum sumus. Dicendum igitur est, præter Patrem nihil Sophia antiquius esse; hoc est, nihil præter Patrem esse, quod fuerit sine initio, sive quod, ut esset, nullius eguerit authoris.

Nota. Hic Tertullianus initium sumpsit pro principio, non durationis, sed originis. Quod si aliter sumeret, adhuc, quod nobis sufficeret, haberemus illum cæteris Patris consentientem circa Verbi divinitatem, & ejus cum Deo Patre consubstantialitatem, licet non circa ejus æternitatem.

S. I X.

De Cypriano, Zenone Veronensi, & Lactantio.

S. Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, vir sanctissimus & eloquentissimus, temporibus Fabiani, Corneli, Lucii, Stephani, & Sixti Romanorum Pontificum sedis, martyrioque coronatus est, sub Valeriano & Gallieno Imperatoribus. Sic autem loquitur lib. de unitate Ecclesiæ: Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus. Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: Et tres unum sunt. Quibus verbis unitatem & indentitatem in substantia Patris, & Filii, & Spiritus sancti confitetur. Et in epist. ad Jubajanum de rebaptizandis hæreticis: Si baptizari quis apud hæreticos potuit, nique & remissionem peccatorum consequi potuit: si peccatorum remissionem consecutus est, & sanctificatus est: si sanctificatus est, templum Dei factus est: quæro cujus Dei? Si creatoris, non potuit, qui in eum non credidit: si Christi, nec hujus fieri potuit templum, qui negat Dominum Christum: si Spiritus sancti, cum tres unum sint, quomodo placatus ei esse potuit, qui aut Patris, aut Filii inimicus est? Quibus verbis confit-

Simonet Theol. Tom. I.

tetur non solum Patrem, sed etiam Filium, & Spiritum sanctum esse Deum, & tres unum esse Deum, quia trium una est essentia, seu natura. Præterea, cum tribus vim remittendi peccata & sanctificandi ex æquo indiscriminatim tribuit, proculdubio tres deitate pares facit.

Obj. Sic loquitur S. Cyprianus in laudata epistola: Nisi si qui Christum negat, negatur à Christo; qui Patrem ejus negat, quem ipse Christus confessus sit, non negatur; & qui in eum blasphematur, quem Christus Dominum & Deum suum dixerit, remuneratus à Christo, remissionem peccatorum & baptismi sanctificationem consequitur. Quæ autem potestate consequi in baptismo remissionem peccatorum potest, negans Deum Creatorem Patrem Christi, quando ipsam potestatem, qua baptizatur & sanctificatur, ab eodem Patre Christus acceperit, quem majorem dixerit, à quo clarificari petierit, cujus voluntatem usque ad obsequium bibendi calicis & subende mortis impleverit? Et inferius Patrem appellat Dominum Deum Christi. R. breviter, S. Cyprianum loqui de Christo secundum humanitatem, non secundum naturam acceptam à Patre confiderato.

S. Zeno Veronensis florebat anno 260. & sub Gallieno Imperatore passum prædicat Ecclesia Veronensis. Sic autem loquitur sermone 1. de æterna Filii Dei generatione: Principium Dominus noster incunctanter est Christus: quem ante omnia secula Pater in profundo sua sacre mentis arcana inspicibili, ac soli sibi nota conscientia, Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa incomprehensibilisque sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo nascitur Deus: de ingenito unigenitus: de solo solus: de toto totus: de vero verus: de perfecto perfectus. Totum Patris habens, nihil derogans Patri. Procedit in nativitatem, qui erat ante, quam nasceretur, in Patre equalis omnibus: quia Pater in ipsam alium se genuit ex se, ex innascibili scilicet sua illa substantia, in qua beatus manens in sempiternum omnibus, quæ habet, habentem Filium paria procreavit.

Et serm. 2. Erat ante omnia (quæ scilicet creata & condita sunt) unus & idem æternaliter ex semetipso in semetipsum Deus (Pater,) secreti sui solus conscius: cujus ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodixit unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus: exinde visibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat, aliis equalis omnibus Patri: quidquid enim Pater præcepit, ut fieret, Filius, utpote Dei virtus, Deique sapientia, omnia illa opere mirifico ejus dictio complevit.

Et serm. 3. Principium Dominus noster incunctanter est Christus: quem ante omnia secula Pater adhuc utrumque in semetipso Deus beate perpetuatis indifcreta Spiritus plenitudine nescio qua sua conscientia velatum, Fili non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur, sed excogitaturum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus incomprehensibilisque sapientia è regione cordis eructat verbum: omnipotentia se propagat. De Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri, alter retinet in altero; cujusvis gloria communis est honor: quia quod est Filii, Patris est; quod Patris, amborum. Latatur Pater in alio se, quem genuit ex se. Quomodo autem generatus sit, qui processit, dementis est opinari: namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æterna majestatis Dominum non posse mundi istius mediocritas sustinere.

Ex his manifestum est, S. Zenonem sensisse, 1. Filium esse Deum, & verum Deum. De Deo, inquit, nascitur Deus: de ingenito unigenitus: de solo solus: de toto totus: de vero verus: de perfecto perfectus. 2. Filium esse verum & genuinum Patris factum, utpote de Patris substantia genitum. Pater, inquit, in ipsum alium se genuit ex se, ex innascibili scilicet illa sua substantia. 3. Filium in essentialibus omnibus Patri æqualem esse. Totum, inquit, Patris habens, nihil derogans Patri. Et in sua innascibili substantia

R 4 bea-

beatus manens in sempiternum omnibus, quæ habet, habentem Filium, paria procreavit. Et æqualis in omnibus Patri. Et cuiusvis gloria communis est honor; quia quod est Filii, Patris est; quod Patris, amborum. 4. Filium ab æterno, & quidem in propria hypostasi, extitisse in Patre. Christus, inquit, quem ante omnia secula Pater in profundo sue sacræ mentis arcano amplectebatur. Et procedit in nativitate, qui erat ante, quam nasceretur, in Patre æqualis omnibus.

Dices, Imò S. Zeno manifestè negat æternitatem Filii, eumque paulò ante mundi creationem genitum esse asserit. Nam serm. 2. sic ait loquens de Patre: Cuius ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodixit unigenitus Filius. Et serm. 3. Christus, quem ante secula Pater adhuc utcumque in semetipso Deus . . . indiscreta Spiritus plenitudine nescio quia sua conscientia velatum, Filii non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur; sed excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis illa virtus, incomprehensibilisque sapientia è regione cordis erulit verbum: omnipotentia se propagat. De Deo nascitur Deus.

R. S. Zenonem duplicem tenuisse Verbi prolationem: unam internam & arcanam, quæ ab æterno facta est; & alteram externam & sensibilem, factam in tempore, quando scilicet Pater mundum condidit per Filium. De hac secunda prolatione loquitur, cum ait: Cuius ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodixit unigenitus Filius: loquitur enim de processione Filii à Patre, quæ visibilis effectus est; cum mox subiiciat: Exinde visibilis effectus. De eadem externa prolatione seu processione loquitur, cum ait: Sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. Incomprehensibilis sapientia è regione cordis erulit verbum. De Deo nascitur Deus, hoc est, quasi paritur, & in lucem emittitur: hic enim, nasci, S. Zenoni non idem est, ac generari seu concipi, sed idem ac mitti, emitti, manifestari, ut patet ex his aliis ejus verbis: Procedit in nativitatem, qui erat ante, quam nasceretur, in Patre æqualis omnibus. Ergo ex S. Zenone, Filius ante, quam nasceretur, jam erat in Patre, adeoque jam fuerat à Patre conceptus & generatus. Unde ante quam Pater verbum exterius proferret, & Filium in lucem ederet, per eum dando esse creaturis; eum, in profundo sue sacræ mentis arcano conceptum & generatum, per totam æternitatem complexus fuerat, sed sine revelamine, adeoque sine discrimine sensibili.

Quamobrem Filius ante quam à Patre quasi pareretur, & emitteretur in lucem per productionem creaturarum, una erat veluti persona cum Patre, ad modum quo mater una persona est cum filio, quem in utero gestat, donec illum pariat, & edat in lucem. Sic enim videtur accipiendum illud: Quare ante omnia secula Pater adhuc utcumque in semetipso Deus indiscreta Spiritus plenitudine . . . amplectebatur. At si infans, etiam cum adhuc est in utero materno, propriam habet substantiam, & distinctam à substantia matris: ita Filius, cum ante mundi creationem in vulva cordis paterni latebat, propriam habebat substantiam, & distinctam à substantia Patris: alioqui S. Zeno non magis dicere potuisset, Patrem in arcano mentis sue ante omnia secula complexum fuisse Filium suum, quam dici posset mulier infantem nondum conceptum, sinu suo complecti. Porro etiam dato, quod S. Zeno minùs rectè & accuratè de Verbi æternitate scripsisset, saltem, quod nobis esset factis, manifestum est, illum de ejus divinitate rectè sensisse, & id sensisse, quod cum ejus æternitate evidenter connexum est.

Lactantius, Arnobii auditor, sub Diocletiano floruit, & senex pervenit ad principatum Constantini magni, qui ei Crispum filium suum instituendum tradidit. Lib. autem 4. Institutionum divinarum hæc scribit c. 29. Cum dicimus Deum Patrem & Deum Filium non diversum dicimus, nec utrumque secerimus, quia nec Pater sine Filio potest esse, nec Filius à Patre secerui; siquidem nec pater sine filio nuncupari, nec filius potest sine patre generari. Cum igitur & pater

filium faciat, & filius patrem; una utique mens, unus spiritus, una substantia est; sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquam defluens ex eo rivus: ille tanquam sol, hic quasi radius à sole porrectus; qui quoniam summo Patri & fidelis & charus est, non separatur, sicut nec rivus à fonte, nec radius à sole, quia & aqua fontis in rivo est, & solis lumen in radio.

His verbis Lactantius apertè confitetur Patrem & Filium unum esse Deum, quia Pater & Filius una mens, unus spiritus, una substantia est. Dicit autem Patrem se habere ad Filium, sicut se habet fons exuberans ad rivum, & sol ad radium, non quod Filius sit tantum portio substantiæ Patris, sive, quod idem est, non quod Pater, generando Filium, non transfudat in eum totam suam substantiam; sed quia quæ ingenuus & genitor, Filio suo, sibi in essentialibus omnibus æquali, notionali prærogativa excellat; sicut de Tertulliano diximus, quem excerpisse videtur Lactantius. Quod si in explicanda Verbi generatione hic hallucinatus est, hoc minimè mirum videri debet: fuit enim Rhetor, non Theologus.

ARTICULUS IV.

Quid post tertium seculum, & exortam Arianam hæresim, senserint Patres de æqualitate Filii cum Patre.

RESPONSIO.

Post tertium seculum, & exortam Arianam hæresim, ex Patribus non pauci docuerunt Patrem, quæ Patrem, majorem esse Filio, quæ Filio: sic tamen ut illos nihilominus natura, substantia, & deitate pares affererent.

Prob. Nam 1. S. Alexander Alexandriæ Episcopus, in sua ad cognominem Constantinopolitanum Antistitem epistola, sic loquitur: Hunc (Filium) conversionis ac mutationis expertem perinde ac Patrem, nullius egentem, & perfectum Filium Patrique similem esse didicimus, hoc solo inferiore Patre, quod ingenuus non est. Et inferius: Itaque Patri quidem ingenuo propriam dignitatem servare oportet, nullam eum habere existentie sue causam proficundo. Filio verò competens honor tribuendus est, principio carentem ex Patre generationem ei assignando . . . divinitatem ejus nequaquam rejicientes; sed imagini atque exemplari Patris respondentem in omnibus similitudinem ei adscribentes. Solum verò ingenuum, Patris proprium esse dicamus; cum & ipse Servator dixerit: Pater major me est.

2. Patres Synodi Sardicensis in epistola Synodica, qualis extat apud Theodoretum l. 2. hist. c. 8. hæc scribunt: Ne quisquam negat Patrem Filio majorem esse, non propter aliam hypostasim, hoc est, aliam substantiam, aut aliam differentiam, sed quia ipsum Patris nomen majus est vocabulo Filii; hoc est, quia Pater, quæ Pater, prærogativam aliquam habet supra Filium, quæ Filium: nomina enim Patris & Filii hic sumuntur, non in suppositione materiali; hoc enim esset absurdum: sed in suppositione formali, nempe pro forma, vel quasi forma, quam significant, sive pro personis secundum proprietates relativas consideratis.

3. S. Athanasius, orat. 2. contra Arianos, ita discit: Caterum quandoquidem ipse scripsit, & in verbis superioribus demonstratum est, Filium esse substantiæ Patris, illumque condere omnia, & omnia condita ab ipso gubernari, eundemque esse & splendorem, & imaginem, & sapientiam Patris; creaturas contra inferiores Trinitati assistere, ac inservire: fieri non potest, quin diversi generis sit Filius, alteriusque substantiæ, quam res create, ac potius substantiæ Patris proprius, ac ejusdem nature. Atque eam ob causam non est dictum à Filio, Patrem suum se meliorem esse, ne se ipsum externum, alienumque ab illius naturæ existimarent: sed Pater, inquit, major est, non quidem magnitudine, aut etate, sed quia ex illo ortum habet.

bat. Quin immo in his ipsis verbis: Pater major me est: sua substantia proprietatem demonstravit.

4. In hac Christi verba, Pater major me est, sic differt S. Basilii lib. 1. contra Eunomium: Si Dei sedes, ut nos quidem credimus, dignitatis nomen est, à dextris determinata Filio Patris sedes, quidnam aliud quam dignitatis aequalitatem significat? Ad hoc etiam in gloria Patris venturus expectatur. Quas ob res reliquum est, ut causae ratione majus hic capiat, Nam quoniam à Patre origo est Filii, hoc major est Pater, quod causa est atque origo. Quapropter Dominus sic dixit: Pater meus major me est; ut eo quod Pater est, major esse intelligatur. Patris autem nomen quid aliud ostendit? Nonne causam ejus, qui ex se natus est, atque originem?

5. S. Gregorius Nazian. orat. 4. de Theologia, quae est secunda de Filio: Veniamus jam ad id quod tertio loco, quod etiam quarto numerant, nimirum quod Christus Patrem majorem dicit, Deumque suum ac nostrum appellat. Sanè si major diceretur, non item aequalis, fortasse vim aliquam haberet, quod asserunt. Cum autem utrumque inveniri liquido constet, quid tandem generosi homines dicent? . . . idem enim ut se ipso majus sit, sibi quae ipsi aequale, qui fieri possit? Nonne ergo perspicuum est, majoris vocem ad causam, aequalis autem ad naturam referendam esse? atque hoc non sine magno candore consitemur.

6. S. Chrysostomus homil. 75. in Joan.: Si quis dixerit majorem esse Patrem, quia causa est Filii, neque in eo contradicemus. Ildorus Pelusiota, lib. 3. epist. 334. Quod & majus consistit, qua ratione genitor est; & aequale, quatenus Deus est, & consubstantialis. Et Cyrillus Alexandrinus lib. 11. Thesaur. in Christi verba, Pater major me est, de quibus fuscè differt: Cum igitur secundum substantiae rationem, aequalis sit Patri Filius, & per omnia similis, majorem ipsum dicit, tanquam principio carentem, cum habeat ipse principium, eo ipso dumtaxat quod ex Patre est, tamen existentiae ratione cum eo convenit. Et paulo post: Pater dicitur major, tanquam principium coeterni geniminis. Et S. Damascenus l. 4. orth. fidei c. 19. Alia rursus ita asseruntur, tanquam de eo, qui Patrem autorem suum ac causam agnoscit, ut illud: Pater major me est. Ab ipso quippe habet, tum quod est, tum omnia ea quae habet: quod est, inquam, per generationem, non per creationem. . . Omnia autem quae habet, non per largitionem ac magisterium, sed ut ex causa. Quod autem nihilominus sentiat Filium esse Patri in essentialibus aequalem, patet v. gr. ex lib. 1. c. 6. Deus, inquit, cum & sempiternus, & perfectus sit, perfectum quoque & verè existens Verbum habebit, quodque & semper sit, & vivat, omniaque habeat, quae Pater habet.

7. Inter Latinos S. Hilarius lib. 3. de Trin. n. 12. Quis non Patrem, inquit, potius confitebitur, ut ingenuum à genito, ut Patrem à Filio, ut eum, qui miserit, ab eo, qui missus sit; ut volentem ab eo, qui obediat? Et ipse nobis erit testis: Pater major me est. Haec ita ut sunt, intelligenda sunt: sed cavendum est, ne apud imperitos gloria Filii honor Patris infirmet.

Et lib. 9. n. 54. Quando igitur illud est: Pater major me est? Nempe cum cum donatur ei nomen super omne nomen. At contra quando est: Ego & Pater unum sumus? Nempe cum omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria Dei Patris. Si igitur donantis auctoritate Pater major me est, numquid per doni confessionem minor Filius est? Major itaque donans est, sed minor jam non est, cui unum esse donatur. Si non hoc donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est. Si autem in ea gloria donatur ei quae, quia Pater est; habet & in donantis auctoritate quia major est, & in donati confessione quia unum sunt. Major itaque Pater Filio est, & planè major, cui tantum donat esse, quantum ipse est; cui inaccessibilitatis esse imaginem, sacramento natiuitatis imperit.

Et eod. lib. n. 56. Quomodo minor est, qui in gloria Dei Patris est? Aut numquid Pater major non est? Major itaque Pater est, dum pater est; sed Filius,

dum filius est, minor non est. Natiuitas Filii Patrem constituit majorem, minorem verò Filium esse natiuitatis natura non patitur. Et lib. de Synodis n. 64. Consitemur . . . non praestantem quemquam cuiquam genere substantiae, sed subiectum alterum alteri natiuitate naturae. Patrem in eo majorem esse, quod Pater est, Filium in eo non minorem esse, quod Filius est, hoc est, Pater, quia pater est, notionali prerogativa major est; Filius verò, quia verè filius est, natura & essentia minor non est.

S. Phœbadius Aginensis lib. contra Arianos: Pater, inquit Christus, major est me. Merito major, quia solus sic auctor sine auctore est. Et inferius adversarios sic urget: Subiectum Patri Filium non Patris vel Filii nomine, ut sancta & catholica dicit Ecclesia, sed creatura conditione profitemini.

Marius Victorinus lib. 1. adversus Arium: Si totus ex toto, & lumen ex lumine, & si omnia, quae habet Pater, dedit Filio: omnia autem sunt & substantia, & potestas, & dignitas: aequalis Patri, sed major Pater: quod ipse dedit ipsi omnia, & causa est ipsi Filio ut sit, ut isto modo sit. Ad hoc autem major, quod actio inactiosa: beator enim, quod sine molestia, & impassibilis, & fons omnium quae sunt, requiescens, à se perfecta, & nullius egens: Filius autem, ut esset, accepit, & in id, quod est agere, ab actione procedens, in perfectionem veniens, motu efficitur plenitudo. . . Ergo & aequalis & inaequalis.

Author Quaestionum ex utroque Testamento apud S. Augustinum qu. 122. Filius nihil planè differt in substantia, quia verus filius est. Differt autem in causalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio est, & in substantia minor est Filius: auctoritate tamen major est Pater, ipso Domino testante & dicente: Si diligetis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. Quem etiam modum custodiens Apostolus Paulus: Unus, inquit, Pater, ex quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus Jesus, per quem omnia, & nos per ipsum. Ut primus gradus sit, ex quo sunt omnia; secundus, per quem omnia; tertius, in quo omnia. Et quia nullus ex illis degener est, in unitate Dei significati sunt, dicente Apostolo, &c.

Denique ipse S. Augustinus lib. de Fide & Symbolo c. 9. in hunc textum, Pater major me est, & alios similes, quibus abutebantur Arianæ, sic ait: Quae omnia posita sunt, non ut naturae atque substantiae inaequalitatem significent . . . sed illa posita sunt partim propter administrationem suscepti hominis . . . partim propterea quia Filius Patri debet, quod est, hoc etiam utique debens Patri, quod eidem Patri aequalis aut par est; Pater autem nulli debet, quicquid est.

Hanc autem auctoritatem & excellentiam notionalem, quam Patri ad Filium attribuunt Scriptores hactenus recensiti, adeoque qualemcumque subjectionem, quam Filius, quia Filius, ad Patrem habere ab illis asseritur, nullam omnino imperfectionem in Filio dicere, & cum ea perfectam Filii cum Patre in substantia, maiestate, gloria & deitate aequalitatem manere, imò & Filium Patri simpliciter aequalem & patrem cum ea esse, egregiè ostendit idem S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum c. 14. ubi sic ait: Quidquid enim dici à Patre accepisse, fateremur & nos prorsus: Pater dedit, Filius accepit. Sed cum omnia, quae habet, gignendo dederit, aequalem utique genuit, quoniam nihil minus dedit. Quomodo ergo tu dicis, quia ille dedit, ille accepit, aequalem Filium Patri non esse: cum eum, cui data sunt omnia, & ipsam aequalitatem videas accepisse? Scriptum est quidem: Beatum est magis dare, quam accipere: sed in hac vita, ubi est inopia, quia utique melior est copia: melius enim est habere, quam egere; & melius est donare, quam accipere; erogare, quam mendicare. Ubi autem, qui dedit, gignendo dedit; & qui accepit, nascendo accepit: non inopi subventum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest, qui accepit, ei, qui dedit, esse inaequalis, quia & hoc accepit, ut esset aequalis. Nihil enim Patre minus ha-

bet ille, qui dicit: *Omnia, quae habet Pater, mea sunt. Aequalis est igitur.*

Superius eod. cap. dixerat: *Sed habet, inquit, Dei Filius autorem Patrem. Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis autorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto, fateor & concedo. Si autem per nomen Autoris minorem vis facere Filium, Patremque maiorem, nec ejusdem substantia Filium, cuius est Pater, detestabor & respuam... Vivam Filius, inquit, accepit. Accepit sicut genitus à genitore. Omnia, inquit, quae habet Pater, mea sunt. Omnia ergo, quae habet Pater, dedit ille genendo, accepit iste nascendo; nec dando ille amisit, quod habuit: nec iste, cum esset & non haberet, accepit: sed sicut ille permansit habens omnia, cum ea, quae habet, Filio dederit omnia: sic iste nunquam fuit sine omnibus, quae non egendo, sed nascendo accepit ut Filius: quia nunquam potuit esse non natus, & ea, sine quibus non est natus, & est immutabilis natus, semper habuit, quia semper est natus.*

Dato igitur, quod Pater, quia pater, hoc est, quia ingenuus genitor, Filio quadantenus emineat notionaliter, atque ita Filius, quia filius, quadantenus Patri subjectus sit; hæc subjectio nullam planè dicit imperfectionem, sive positivam, sive negativam, in Filio; quia, ea non obstante, in essentialibus, imò simpliciter, Patri perfectè aequalis est: habet enim omnia essentialia, quae habet Pater; & habet, quia accepit, non egendo, sed nascendo; quia semper habuit, quia semper natus est; & semper habuit immutabiliter, quia semper natus est immutabilis; & semper habuit summa necessitate, quia semper summa necessitate natus est. Semper igitur Filius immutabiliter & summa necessitate habuit omnia essentialia, quae habet Pater, quia ab eo semper immutabiliter, & summa necessitate accepit, ut genitus à genitore. Sic autem accepisse, nullam dicit indigentiam in eo, qui accepit, quia nunquam fuit & non habuit, & ita nunquam fuit & eguit: unde dedisse sic accipienti, non est, inopi subvenisse, sed non egentem genuisse: nec dedisse sic accipienti, magis beatum est & perfectum, quam sic accepisse; quam ob rem in Deo non magis beatum est, esse Patrem, quam esse Filium: unde in Deo vel Filius nullam subjectionem habet ad Patrem; vel si quam habere potest dici, non est nisi latè & improprie subjectio: non enim est subjectio minoris ad maiorem, vel inferioris ad superiorem, sed aequalis ad aequalem, quorum hic alterius principium est: non est subjectio necessitatis, sed voluntaria & pietatis, quatenus pium est unum alteri deferre, tanquam principio sui esse; quamvis illud esse absque omni indigentia, ac proprie dicta dependentia ab eo accepit. Unde qui dedit esse, nullum proprie jus habet in eum, qui accepit, nec nisi volenti præcipere, & volentem mittere potest. Totam hanc doctrinam paucis comprehendit Hilarius, cum ait, Patrem, quia Pater est, maiorem esse; Filium verò minorem non esse, quia Filius est.

Porro quæ hoc articulo dicta sunt hæcenus, nemo non videt plurimum valere ad confirmandam Scripturam Ecclesiasticorum, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis floruerunt, & quos articulo superiore defendimus, orthodoxiam circa Verbi divinitatem. Et enim si post exortam Arianam hæresim, inter orthodoxos Ecclesiæ doctores tot fuerunt, qui Patrem, quia Patrem, Filio maiorem dixerint, licet Filium unius substantiæ & deitatis cum Patre crederent, & contra Arianos acerrimè defenderent; quis mirabitur alios, nondum exorta Ariana hæresis, securius scribentes, Patri, quia Patri, supra Filium eminentiam quandam & auctoritatem attribuisse, eamque interdum duribus verbis expressisse? Aut quis propterea eos merito vel suspicabitur, Filium alterius substantiæ à Patre, & inferioris naturæ credidisse, & docuisse? Itaque pro certo statuamus, eos de Filio sensisse, quod alii postea senserunt, Filium scilicet substantia, maiestate, gloria, & deitate parem Patri, sed notionali excellentia imparem; quam inæqualitatem si quando vi-

dentur exaggerasse, verba eorum benigna interpretatione corrigenda sunt, non eorum fides culpanda est. Certè non aliud de Filio senserunt, quam quod sentiebat Ecclesia, in cuius gremio defuncti sunt. Quid autem Ecclesia tribus prioribus sæculis de Verbo Dei Filio senserit, evidenter demonstratur argumento præscriptionis ex iis quæ initio quarti sæculi circa Arianam hæresim contigerunt, & ex quibus

Sic argumentari licet. Ecclesia initio quarti sæculi damnavit, & dixit devovit Arium, asserentem Verbum esse creaturam; Verbum non extitisse ab æterno, sed fuisse tempus, non quidem reale, sed imaginarium, quando non erat; Verbum non de substantia Patris genitum esse, sed de non extantibus factum, adeoque Filium Dei non esse verè & proprie, sed improprie tantum & nupcupative. Ergo initio quarti sæculi Ecclesiæ fides erat, quod Verbum non esset creatura, sed verus Deus; quod extitisset ab æterno, & ante omne tempus, sive reale, sive imaginarium; quod non factum esset de non extantibus, sed de Patris substantia genitum esset; quod esset verus & genuinus Patris socius, adeoque verè ac proprie Filius Dei: uno verbo quod esset unius & ejusdem substantiæ cum Patre, ac proinde unus cum Patre verus Deus, æternus, immensus, omnipotens, &c. Ergo hanc eandem de Verbo, quam in Nicæno Symbolo expressit, fidem habuit Ecclesia tribus prioribus sæculis: alioquin ostendatur, quando aliam habuerit; quando idem senserit, quod postea sensit & docuit Arius; quando, in qua mundi parte, quod auctore hæc in Ecclesiæ doctrina mutatio coeperit; quæ jurgia, & quas contentiones excitavit; quibus promotoribus totum orbem inyasit, & omnes Ecclesias particulares corruerit; quos adversarios experta sit. Quod enim talis in re tanti momenti mutatio incerto tempore, generali Episcoporum & doctorum omnium conjuratione tacita vel expressa, ubique simul facta sit; aut quod ab una particulari Ecclesia sensim ad alias omnes propagata sit, nullo advertente, aut reclamante, asserere summæ insanie est, atque dementiæ. Præterea, evidenter repugnat experientiæ, & promissionibus à Christo factis Ecclesiæ.

DISPUTATIO IV.

De Divinitate Spiritus sancti, & unitate Dei in trinitate personarum.

ARTICULUS I.

Quinam malè senserint de Divinitate Spiritus sancti.

§. I.

Primus de Spiritu sancto, quod constat, malè sensit Origenes, qui infra Patrem Filium, infra Filium Spiritum sanctum constigebat, sicut & infra Spiritum sanctum Angelos, & infra Angelos homines. Unde juxta doctrinam Origenis, inter substantias intellectuales primum & supremum locum tenet Pater, qui, cum solus sit ingenuus, solus verus Deus est; secundum Filium, ut rerum omnium à Patre conditarum excellentissima; tertium Spiritus sanctus, ut creatura Filii perfectione proximior; quartum Angeli; quintum & infimum obtinent homines. Quare docebat idem Origenes, Angelos ab hominibus, ab Angelis Spiritum sanctum, à Spiritu sancto Filium, à Filio Patrem, maximum & supremum Deum, videri non posse, ut refert S. Epiphanius her. 64. num. 4. & S. Hieronymus epist. 61. ad Rammachium.

Epist. 59. ad Avitum his verbis doctrinam Origenis expoluerat: *Tertium dignitate & honore post Patrem & Filium asserit Spiritum sanctum. De quo cum ignorare se dicat, utrum factus sit, an infectus, in posteriori*